DE JOHANNIS WALLISII

GRAMMATICA LINGUAE ANGLICANAE

ET TRACTATU

DE LOQUELA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

LEO MOREL

Universitati aggregatus
In collegiis Ludovici Magni et Montani professor

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCXCV

DE JOHANNIS WALLISII

GRAMMATICA LINGUAE ANGLICANAE

ET TRACTATU

DE LOQUELA

COLUMBARIIS
Ex typis PAULI BRODARD.

DE JOHANNIS WALLISII

GRAMMATICA LINGUAE ANGLICANAE

ET TRACTATU

DE LOQUELA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

LEO MOREL

Universitati aggregatus
In collegiis Ludovici Magni et Montani professor

PARISIIS
APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCXCV

ALEXANDRO BELJAME

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI PROFESSORI

Quem quondam magistrum eruditum
Quem jamdiu amicum bene suadentem
expertus sum

Hoc opusculum dico dedicoque.

LEO MOREL.

DE JOH. WALLISII

SAVILIANI PROFESSORIS OXONIENSIS

GRAMMATICA LINGUAE ANGLICANAE

PARS PRIMA

EPITOME VITAE WALLISII

Fama doctissimi viri Johannis Wallisii, quae eo vivente clarissima fuit, mirabiliter nunc defloruit, nec ulla fere recordatio ejus adhuc permansit nisi apud mathematicos qui pernotam formulam quamdam Wallisii auctoris nomine designant [1]. Inter quos pauci tantum historiae rerum mathematicarum curiosi plura noscere cupiverunt de viro quondam

1. $$\frac{\pi}{2} = \frac{2}{1} \times \frac{2}{3} \times \frac{4}{3} \times \frac{4}{5} \times \frac{6}{5} \times \frac{6}{7} \times \ldots$$

Haec de Wallisio scripsit celeber noster geometra M. Chasles : « Wallis écrivit le premier un *Traité analytique des Sections coniques* suivant les doctrines de la géométrie de Descartes. Mais sa prédilection fut pour cette autre partie de la géométrie qui se rattache aux découvertes d'Archimède. En appliquant aussi, dans son *Arithmétique des infinis*, la puissante analyse cartésienne à la méthode des indivisibles de Cavalieri, il fit faire à la géométrie des progrès immenses dans toutes les questions qui sont aujourd'hui du domaine du calcul intégral. » (*Aperçu historique.*)

inclytissimo qui personam in politica scena conspicuam sustinuit, qui longam et fragosam de geometriae principiis controversiam cum Hobbesio philosopho commisit, qui litterarum commercium cum celeberrimis aetatis suae viris haud indignus aemulus frequentavit (Pascali scilicet et Cartesio Fermatoque nostris, vel Germanorum Leibnitio), qui denique simul cum illis et cum magno Neutone inter inventores et conditores modernae mathematicae scientiae haberi jure potuit.

Non igitur supervacuum opus hoc videbitur si, priusquam unum ex Wallisii libris ad nostra studia spectantem percenseamus, praecipua ejus vitae facta exponere inceperimus. Ad eam brevem summam scribendam notis quas ipse Wallisius reliquit inprimis utemur [1].

Wallisius, cujus pater eodem pronomine Johannes vocabatur et sacerdos quoque fuit, natus est in urbe dicta Ashford, tertio et vigesimo die Novembris, anno Dei millesimo sexcentesimo sexto decimo. Patre jam orbus erat quum mater eum annos novem natum procul ab urbe Ashford amovit, quam pestilentia tunc vastabatur, et ad scholam in vicum dictum Tenterden (in comitatu Kent situm) misit. Annis post quinque alteram intravit

1. Hae notae invenientur in libro :

« *Peter Langtoft's Chronicle* (as illustrated and improv'd by Robert of Brunne) from the Death of Cadwalader to the end of King Edward the First's Reign. Transcrib'd and now first publish'd, from a MS. in the Inner-Temple Library, by Thomas Hearne, M.A. — Oxford; printed at the Theater, MDCCXXV. »

In capitulo XI datur narratio eventuum quorumdam in Wallisii vita ab ipso scripta, sub hoc titulo : « Dr Wallis's Account of some Passages of his own Life. E Coll. MSS. Smithianis penes Editorem, Vol. 22, p. 38. »

Haec narratio exponitur in forma epistolae ita inscriptae : « For the Reverend and Learned Thomas Smith, Dr in Divinity. » Inscriptio quidem a Wallisio scripta erat, sed ipsa epistola ab ejus amanuense; quae tamen emendationes fert nonnullas manu Saviliani professoris.

scholam in vico Felsted dicto sitam (in comitatu Essex), ubi per duos annos disciplina excellentis cujusdam magistri excultus est. Illic se ita doctum fuisse ipse dicit ut familiariter latina et graeca lingua uteretur, et utriusque certam scientiam teneret [1], atque simul Hebraïci sermonis et Logicae elementis imbutus fieret. Quindecim annos natum junior frater, qui omnino dissimili, ut videtur, disciplina informatus erat, Johannem intra paucos dies docuit quod ipse per tres menses didicerat de scientia numerorum. Hanc, si auctori nostro credere debemus, solam hujus scientiae doctrinam unquam recepit, et, quum prima earum rerum specie valde delectatus esset, in eas deinceps acriter se intendit, ita ut non necessario et legitimo labori operam dare, sed mentem oblectatione quadam recreare videretur [2]. Eodem tempore praecepta musicae [3] et Gallici sermonis rudimenta percepit.

1. De excellentia doctrinae duobus in illis scholis, ubi sermone latino uti discipuli jubebantur, Wallisius haud pauca dicit, nec sine suspicione cujusdam jactantiae. At id in mente nos habere decet non solum familiarem, sed elegantem usum linguae latinae tunc maximi pretii fuisse, et omnia Wallisii opera in illa lingua fuisse conscripta. In multis autem gravibusque contentionibus de scientiis, aut de rebus publicis, aut etiam de religione, ab adversariis Wallisius non semel vitiosae, ut aiebant, latinitatis accusatus est. (Vide inter alia : « *Clamor*, *Rixa*, *Joci*, *Mendacia*, *Furta*, *Cachinni*, or a severe Enquiry into the late Oneirocritica published by John Wallis Grammar-Reader in Oxon. » London 1751.) Cujus libri multae paginae plenae sunt controversia de usu a Wallisio facto ablativi casus, praepositione *de* praecedente, quum dubium esset utrum « ablativus causae » vel « ablativus modi » sensu designaretur.

2. « Mathematica », ut ipse dicit, « vix tunc decens academicum studium existimabatur, at solum ad mercatorum usus, vel hominum maritimorum, tignariorum mensorumve conveniens, et forte quorumdam Londinensium anni compositorum. Nec ex ducentis discipulis in meo collegio plus quam duo magis mathematicae rei quam ego habebant. »

3. Ex quo studio hanc utilitatem percepit ut de « musica apud veteres Graecos » postea magis eruditus quam ullus tunc in Britannia vivens factus sit. (De quo vide : *Rees' Cyclopædia* in art. *Wallis*.)

Sub finem anni millesimi sexcentesimi trigesimi secundi Academiae Cambridgensis matriculis inscriptus est, ubi primum Logicam tanquam unicam studii materiem habuit; et in illa scientia, vel arte, ita profecit ut mox unus e praecellentibus argumentatoribus in Academia aestimaretur. Tunc rem ethicam physicamque et metaphysicam aggressus est, secundum istam scholasticorum rationem quam in levi habere incepit, ut posthac in quibusdam suis operibus manifestum fecit [1]. Anatomicae quoque et historiae naturali sedulo se dedit, quae scientia eo tempore celeberrimi viri Harvei praestantissimo ingenio ad novas tentandas vias inducebatur. Gloriose hìc Wallisius, nec, ut concedetur, immerito refert se primum (teste doctore Glissonio tunc in Academia physicae professore) in publica disputatione novas Hervei doctrinas de sanguinis circulatione defendisse [2]. Ad astronomiam quoque et geographiam, maxime discendi cupidus Wallisius his annis se applicavit, neque tamen theologiam, praecipuam studiorum materiam, negligebat.

1. « Omnia sic explicare conatus sum ut, deposita solenni formularum pompa, quid haec solennia significent ad communes loquendi formulas redacta, usuque hominum communi recepta, innotescat; ne grande aliquid sub verborum exoticorum involucris latere censeatur, cum res ipsa receptis vocabulis explicata sit notissima. Nonnulla tamen sunt in quibus a communi Logicorum tramite recedere sum coactus.... » (*Institutio Logicae, ad communes usus accommodata.* Anno MDCLXXXVII primum edita.)

2. Id haud indignum quod memoretur nunc dierum forsitan aestimabitur quum in recente controversia quam nemo oblitus est, mathematici accusati sint repugnantiae cujusdam et caecae certationis contra magnam Harvei inventionem. (Vide « Responsio in nomine Facultatis Medicinae Parisiensis data huic quaestioni utrum juvenes mathematicae rei disciplina instructi apti sint ad medicinae studium ineundum ».)

Celeber Harvei Tractatus *de Cordis Motu* editus est anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo; Wallisii publicam « novae philosophiae » defensionem circiter annis post novem susceptam esse nobis opinendum est, eodem scilicet tempore quo Cartesii *Discours de la Méthode* editus est, in quo Harveus magnis laudibus extollitur.

Interea gradum Artium Baccalaurei et, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, Magistri accepit, eodemque anno ordinatus fuit. Quum magistrorum corpori adjungi hoc titulo quod « fellow » dicitur ei non liceret in collegio suo (scilicet Emanuel dicto), (alter enim ejusdem comitatus indigena ea dignitate jam erat ornatus), collegium Reginae dictum adiit. Ibi vero commoda illius tituli « fellow » mox repudiavit, quum matrimonio se obstrinxisset anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto.

Eodem anno unus scribarum a conventu sacerdotum in Occidentali Monasterio (Westminster) congregato electus est. Conventum illum Parlamentum convocaverat ad oppugnandum delendumque ordinem anglicorum episcoporum, nec conventus exspectationem fefellit. Wallisius autem, quamvis postea strenuè negaverit se tunc inimicum Anglicanae Ecclesiae fuisse, sane tamen videtur unus principum fuisse qui conventum ad evertendam ecclesiam adduxerunt. Ex quo videmus eum partes secutum esse Parlamenti et populares opiniones reipublicae amicas. Illum imo dicebant populari exercitui auxilium non mediocre attulisse quum, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, post pugnam apud Naseby, secretas victi regis litteras a victoribus interceptas explicaverit[1]. Quod quidem

1. Satis notum est Wallisium peritissimum fuisse in arte legendi occulte scriptas litteras, ita ut a quibusdam pater hujus artis appellatus fuerit. (De quo vide : *An Essay on the art of Decyphering* in which is inserted a discourse of Dr Wallis now first published from his original manuscript in the Publick Library at Oxford. — By John Davys, M. A., London, MDCCXXXVII.) — Post Davysii opus editum *Britannicus* quidam eum refutavit contendens artem illam multo antiquiorem esse. Nec omnino *Britannicus* erravit, nam si forte primus Wallisius expertissime omnia secrete scripta legit, alií tamen eidem arti sedule studuerant. In magna Britannica Bibliotheca librum hujus tituli vidi : « *Traicte des Chiffres* ou

Wallisius ipse, postquam rex rursus instauratus fuit, vehementissime infitiatus est; at non apud omnes ejus asseveratio prævaluit [1].

Dum vero Britannia civili bello dilacerabatur, curam scientiae Wallisius nullo modo neglexerat. Etenim, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, ipse et quidam eruditi viri Londini semel in quaque hebdomade convenire solebant ad philosophiae et scientiae questiones agitandas. Quae congregationes ne civili bello quidem nec quorumdam in Oxoniam discessu interruptae sunt; illic enim hi ad eumdem finem convenire pergebant, et, postquam rex instauratus est, omnino certo ordine habitae sunt, atque inde nata est celeberrima Regalis Societas [2].

secretes manieres d'escrire par Blaise de Vigenere, Bourbonnois : A Paris, chez Abel l'Angelier, au 1er pillier de la grand'salle du Palais. MDLXXXVII. »

1. Quid sit verum in hoc negotio discernere difficile videtur. Ipse quidem Wallisius litteras apud Naseby captas asseverat nullo modo secrete scriptas fuisse; et Johannis Davysius, cujus opus supra citavi, testatur nullas Caroli regis litteras apud Naseby captas in Bodleiana Bibliotheca fuisse depositas. At Wallisii declarationem non solum unius testimonium refellit. Namque Edouardus Hyde (qui postea fuit Comes Clarendonis) de eadem collectione ita scripsit : « Plane memini in eodem libro multa secrete scripta relicta esse », et indice Bibliothecae hoc quondam confirmabatur. Quod si vero Davysius illas litteras non invenerit non mirabimur, si Antonio Wood credere debemus, auctori Athenarum Oxonensium qui, sub mense Martio anni millesimi sexcentesimi sexagesimi, id consignabat : « Ad finem hujus mensis, Doctor Wallisius suum librum de lectis regis litteris secrete scriptis, e custodia bibliothecarii Doctoris Barlow blando sermone abstulit, nec bibliothecae reddidit priusquam, ut placuit, abstraxisset vel mutavisset. » Quum primum illam litterarum collectionem Bodleianae Bibliothecae dedit Wallisius hanc conditionem revera expresserat : « Reservata sibi in posterum potestate addendi vel emendandi ». Sed magis etiam haesitamus quum manuscripta Bodleianae Bibliothecae postea inspecta nullo modo corrupta esse appareant, et in mente habeamus non tantum differentia opinionum sed etiam privata inimicitia Wallisium atque Antonium Wood divisos fuisse.

2. In numero eorum qui primum globum futurae societatis formarunt haec nomina Wallisius refert : Doctor John Wilkins, Doctor Jonathan God-

Geometriae professor publicus in Oxoniensi Universitate, quae docendi provincia a nobili viro Henrico Savilio constituta erat, electus, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, novas et, ut apparuit, mire fecundas de re mathematica opiniones concipere coepit, postquam eodem anno Torricellii opera perlegit. In his primum cognovit quae Cavallierus de indivisibilibus excogitaverat, et in spem adductus est novam lucem per ea projiciendi in implicatissimum problema quadrati circuli. Quum unum annum totum in hac investigatione consumpsisset, ad hanc conclusionem pervenit nulla notatione numerum quem quaerebat exprimi posse. Attamen Cavallieri methodus ita per Saviliani professoris laborem progressa erat ut Wallisio commune sit cum Neutone et Leibnitio decus calculi differientialis inventi [1].

dard, Doctor Gorge Ent, Doctor Glisson, Doctor Merret, dominus Samuel Foster, astronomiae professor, dominus Theodore Hauk, Germanus quidam qui (ita Wallisius censet) primus has congregationes suggessit. — Quaestiones quasdam de quibus disceptabant sic a Wallisio indicantur : Cursus sanguinis, folliculi in venis, venae lacteae, Copernici hypothesis, natura cometarum, novae stellae, Jovis satellites, Saturni ovata (ut tunc apparebat) forma, maculae solis, et motus ejus circa axem, asperitates Lunae et descriptio ejus, articuli Veneris et Mercurii, perfectio instrumentorum quibus astronomi utuntur ut astra quasi propius adducant, et attritio vitri in illis utandi, pondus aeris, utrum vacuum possibile sit nec non, et naturae ab isto abhorrentia, Torricellii experimentum de vivo argento, casus gravium corporum et ratio accelerationis ejus, aliaeque ejusdem generis.

1. Cum Cavallierus superficiem infinito numero linearum formatam finxisset, Wallisius substituit fictionem infiniti numeri parallelogrammorum. Leibnitium mathematici dicunt idem postulatum assumpsisse pro fundamento calculi differentialis. In altero opere, scilicet *Tractatus de turbinatorum sectionibus*, Wallisius lineam fingit posse extendi, quod dicitur esse ipsum principium generationis quantitatum in Neutonis fluxionum ratione. Vide *Encyclopaedia Britannica*, p. 4124, in art. *Wallis.*

In tertio volumine *Operum mathematicorum*, sub hoc titulo : « Epistolarum quarumdam Collectio... », epistolae plurimae inveniuntur in quibus Wallisius contra Leibnitium contendit omnes diversas partes rationis ad infinitos numeros calculandos contineri in sua *Arithmetica Infinitorum.*

Postea tanquam unus inter principes scientiae laudatus, Wallisius cum plurimis eminentibus mathematicis in commercium epistolarum inductus est, et in disputationes etiam, quarum nonnullae celebres tunc temporis fuerunt. Inclytus enim philosophus Thomasius Hobbesius, in mathematicam rem attractus philosophicis inquisitionibus, quum jam plus quam sexaginta annos natus esset, Wallisii opiniones de principiis geometriae rejecit atque etiam vehementer respuit [1]. Hoc fuit

1. Hobbesius ipse sic originem istius contentionis exposuit in singulari sua Vita quam jam nonagenarius latino versu scripsit :

Publico deinde meum Librum « de Corpore », cujus
  Materies ferme est tota Geometrica.
Venit et in lucem (magna plaudente caterva
  Algebristarum) Wallisii Algebrica,
Illa Geometriae pestis quae ceperat ante
  Annos plus centum; nunc et ubique furit.
. . . .
Addidit Oxoniae Praelector Savilianus
  Wallisius multo nobile dogma magis
Nempe infinitae molis finem esse, et habere
  Finitum partes et sine fine datas,
Quae duo fecerunt insanos dogmata quotquot
  Festinaverunt esse Geometrici.
Haec mihi causa satis scribendi est justa libelli
  (Annos tunc natus septuaginta duos)
In quo, Dialogis ego sex non molliter istos
  Tango Geometras ut meruere novos.
. . . .
Sed nihil profeci, densis umbonibus obstant
  Cedere quos puduit semi-Mathematici.
Ergo meam statuo non ultra perdere opellam,
  Indocile expectans discere posse pecus.
Deinde librum scribo quem nomine dico « Rosetum »,
  Praecipuo densum flore geometriae.
Wallisius contra pugnat; victusque videbar
  Algebristarum theiologumque scholis,
Et simul eductus castris exercitus omnis
  Pugnae securus Wallisianus ovat,
Quem cum vidissem salebroso insistere campo,
  Stabat ubi radix densa molesta tenax

initium disputationis quae per multos annos magna clamorum et contumeliarum accessione exagitata est[1]; in qua amici fauto-

Pugna placet, vertor, numerumque licet Infinitum
Temporis in puncto dissipo, sterno, fugo.
Bella mea audisti... »
(Thomae Hobbesii Malmesburensis Vita, Authore seipso. Londini CIƆ IƆ CLXXIX).

1. Ex longa serie operum quae ab isto certamine inspirata sunt tituli tantum praecipuorum hic dantur :

HOBBES, *De corpore philosophico*, MDCLV. — WALLIS, *Elenchus Geometriae Hobbianae, sive, Geometricorum, quae in ipsius Elementis Philosophiae a Thoma Hobbes Malmesburiensi proferuntur, refutatio*. Oxoniae. MDCLV. — HOBBES, *Six Lessons to the Professor of Mathematicks of the Institution of sir H. Savill in Oxford*. — WALLIS, *Due correction for Mr. Hobbes, or School discipline, for not saying*... MDCLVI. — HOBBES. Στιγμαι... MDCLVII. — WALLIS, *Hobbiani Puncti dispunctio*. — HOBBES, *Examinatio et emendatio... sex dialogis*. Londini. MDCLX. — HOBBES, *Dialogus physicus, sive de natura aeris*. Londini. MDCLXI. — HOBBES. *De duplicatione cubi*... London. MDCLXI. — HOBBES, *Problemata physica*. MDCLXII. — WALLIS, *Hobbius Heautontimorumenos*, MDCLXII. — HOBBES, *Considerations upon the reputation of Thomas Hobbes*. MDCLXII. — HOBBES, *De Principiis et ratiocinatione Geometrarum ubi ostenditur incertitudinem falsitatemque non minorem esse scriptis eorum quam scriptis Physicorum et Ethicorum*... Londini. MDCLVI. — HOBBES, *Quadrata circuli, cubatio spherae, duplicatio cubi, breviter demonstrata*. Londini. MDCLXIX. — WALLIS. *T. Hobbes Quadratura circuli, cubatio spherae, duplicatio cubi, confutata*. Oxoniae. MDCLXIX. — HOBBES, *Rosetum Geometricum. Sive Propositiones aliquot frustra antehac tentatae. Cum censura brevi doctrinae Wallisianae de Motu*. Londini. MDCLXXI. — HOBBES, *Lux mathematica, excussa collisionibus Johannis Wallisii... et Thomae Hobbesii... multis et fulgentissimis aucta radiis authore RR*. Londini. MDCLXXII (*Cui Wallisii responsio invenitur in* Philosophical Transactions, n° 87, p. 5967). — HOBBES. *Principia et problemata aliquot Geometrica, ante desperata nunc breviter explicata et demonstrata*. Londini. MDCLXXIV.

Quo vero dicendi genere ista viginti annorum concertatio exagitata sit perpauca excerpta satis demonstrabunt :

In dedicatione *Elenchi Geometriae Hobbianae* his Wallisius verbis Hobbesii mentionem habet : « .... Quanta item ὑπερηφανεία, et pro imperio satis, humana pariter et divina conculcans omnia, tremenda plane et horrida, de Deo, de Peccato, de Scriptura Sacra, de Substantiis incorporeis universim omnibus, de Hominis anima immortali, caeterisque gravioribus religionis apicibus, dolendum magis quam dubitandum. Cum autem illum Leviathanis instar (quod sibi nomen fecit) aut Goliath incircumcisi, tanto incedentem fastu intuebar; omnino occurrendum judicabam ut videat nec impune sibi quidlibet licere, nec omnino esse cur supra communem

resque utriusque adversarii in partes concesserunt, neque tantummodo opiniones de re mathematica, sed etiam de philosophia, de theologia et religione, imo de grammatica [1]

hominum sortem se superbus efferat.... Si cui vacaverit alii, errata ipsius reliqua, Theologica et Philosophica, eadem evidentia refellere qua nos ipsius Geometrica refutavimus, non multum superfuturum autumo de quo in posterum glorietur. »

At in ipso libri corpore, Hobbesium directo alloquens, his verbis utitur :

« Mirabere forsan, erudite vir, cur ego tibi neque beneficio neque injuria notus, tam propere ad tua Geometrica responsum edam.... Audiveram... quam magna de te sentias.... Audiveram quam fueras speciatim in Geometrica magna pollicitus, circuli puta quadraturam, angulique in data ratione sectionem, aliaque nescio quae mira prae quibus haec sordeant.... Quum librum tuum jam tandem prodiisse audiveram bibliopolam statim aggressus quaesivi.... Quaerebam caput vicesimum (ubi capitum lemmata libro praemissa indicabant ea quae circuli dimensionem spectant quaeranda esse).... At... post impressas, suppressas. repressas et aliquoties immutatas nescio quot paginas, id unum invenio sub capitis calcem superesse, ut « deleantur omnia »... Reliqua etiam ejusdem farraginis deprehendo : eadem lepra, eadem prurigine conspersa... Irasci primo... mox ridere, et plane tandem tui coepi miserescere, qui tam merito te omnibus exponas ludibrio. »

Neque Hobbesius ab adversarii violentia abhorret. Opiniones ejus de infinito (tanquam non solum ad mathematicam rem pertinentes) impietatis notat in suo libro *Principia et problemata*.... Quomodo vero Saviliani professoris doctrinam aestimaverit his videbitur :

« Quem misisti mihi Johannis Wallisii libellum. *De Motu* perlegi diligenter.... Quaeris quid censeam de prima (parte). Non placet. Quae clara sunt obscura, obscura obscuriora facit... Ad duas has definitiones, loco explicationis, qua valde indigent, nugas iterum subjicit Grammaticus vix puero dignas.....

« Postcriptum. Scripta, necdum missa, censura primae partis, accepi a te partem secundam, ita obscuram ut nullo modo examinari posset. Quantum tamen satis sit ut scias neque in hac parte quicquam esse (praeter ea quae sciunt pueri) aut Geometrae aut Logici, aut hominis sani. tantum tibi adnotabo. »

Roseto Geometrico, ex quo ea excerpsi, hoc distichon praepositum est : Ad Lectorem Geometram :

« Hinc tibi carpe Rosam (Lector studiose) recentem
Candidus olfactas Wallisianus edat ».

1. Singulare specimen istarum discerptationum videri potest in duobus libellis. « Clamor, Rixa, Joci, Mendacia, Furta, Cachini, or a severe En-

vicissim materies fuerunt criminationis, irrisionis et ludibriorum.

A peritissimis in Gallia mathematicis provocatus, conditiones eorum Savilianus professor semel atque iterum accepit. Fermatus (Fermat) nempe et Freniculus (Frenicle) problema quoddam ad illum detulerunt, cujus solutionem ante finem ejusdem mensis remisit [1]. Quam quidem solutionem hi Galli mathematici primum valere non consenserunt; tandem vero, post multas epistolas et amplissimam argumentationem, problema solutum esse ab anglico geometra confessi sunt, et eum principem mathematicorum in Europa esse declaraverunt [2].

Eodem anno certamina instituit Pascal inter omnes mathematicos; pecuniam enim magnam promisit, si quis perfecisset

quiry into the late Oneirocrita published by John Wallis, Grammar-reader in Oxon. London. MDCLVII. » — « Θερσίτης ἀκριτόμυθος, or an exact account of the controversy betwixt Mr. Hobbes and J. Wallis D. D. by the author of the former letter, Stoboeus. London. MDCLVII. »

Quatuor paginae plenae sunt argumentis ex utroque latere adductis ad probandum utrum recte vel praviter Hobbesius praepositione usus sit in hoc sententia : « Longitudinem percursam cum impetu ubique.... » Cicero, Alvarez. Vossius. Jul. Scaliger, Priscianus Ovidus ad testimonium vocantur.

Item sex paginae conferuntur in considerationem unius sententiae Hobbesii cujus grammaticam vehementer nec, ut videbitur. immerito Wallisius increpat : « Tractatus hujus partis tertiae, in qua motus et magnitudo per se et abstracte consideravimus, terminum hic statuo ».

Undecim paginae (ex septima decima usque ad vicesimam octavam) consumuntur in considerandis verbis a Wallisio scriptis : « Adducis malleum ut occidas muscam. » Per septem et viginti paginas disceptatur etymologia a Wallisio proposita vocabuli « empusa » quo Hobbesius usus erat, nempe ἕν et ποῦς.

1. In mense Martio anni millesimi sexcentesimi sexagesimi octavi.

2. Quid ipse Wallisius censuerit de eis videndum est in epistola Oxoniensis Lectoris ad Lord Brouncker, in qua sic illos aestimat et comparat : « Gravitatem Hispanorum cum quibus est vicinior magis fortasse sapit alter. Gallorum alter alacritatem. Acutos ambos et summos viros lubens agnosco. »

quadraturam sectionum quarumdam cycloidae, et alteram obtulit illi qui in iisdem sectionibus centrum gravitatis determinavisset. Solutiones erant mittendae ante primum Octobris diem. Wallisius suam misit, et publicus tabellio eam inventam esse testatus est undevicesimo die Augusti. At Pascal responsum serius pervenisse pronunciavit [1] et extra spatium datum, nec vehemens Wallisii expostulatio praevaluit; qui istam (ut censebat) malam fidem aegre passus est, et Pascalem postea declaravit perfide fructum cepisse in libello suo (*Histoire de la Roulette*) e solutionibus quas a diversis recepisset [2].

Nec putandum nobis est illas de re mathematica disquisitiones diligentiam Saviliani professoris omnino occupavisse. Nam, postquam electus est custos Archivorum [3], ad ejus officium pertinuit jura privilegiaque Academiae defendere diversis in litibus, nempe in causis Oxoniensis Academiae ad versus civitatem, ad versus chartarios Londinienses, et ceteros. Multis in aliis rebus eodem tempore laborabat: in philosophia et logica (nam Institutionem Logicae edidit) [4], in linguis, sive antiquis sive recentioribus, ut manifestum factum est copia verborum

1. In epistola ad dominum Christophum Wren, illustrem architectum qui solutiones ipse problematum miserat. Wren enim eminens mathematicus erat, et, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio, eodem fere tempore quo Wallisius, demonstrationem dederat problematis de legibus motus in collisu corporum.

2. In epistola ad Huyghens.

3. In mense Februario anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi septimi, multis quidem strenue repugnantibus. (Vide « The Savilian Professours case stated... by Henry Stubbe, M. A. and Student in Christ-Church », London, MDCLVIII.)

4. *Institutio Logicae ad communes usus accommodata*, Oxonii, MDCLXXXVII. Magno favore liber acceptus est, nam quinta editio apparebat anno millesimo septingentesimo vicesimo nono.

ex omnibus fere linguis in ejus grammatico opere sparsorum; in arte occulte scripta divinandi, in qua famam sibi comparaverat quae longe ultra patriae fines diffusa erat [1]; in theologia,

1. Vide in Johannis Wallisii operum mathematicorum volumine tertio multas epistolas ab illis eminentibus viris ultro citroque missas (Epistolarum quarumdam Collectio rem Mathematicam spectantium). Leibnitii urbanitas huic epistolarum commercio colorem elegantiae impertit, ita ut illae litterae valde dissimiles appareant contentionibus adversus Hobbesium aut Pascalem.

Epistola D.Leibnitii ad Wallisium scripta $\frac{19}{29}$ Martii, ineuntis anni MDCXCVII.

« Vir plurimum Reverende et Celeberrime.... Qui Algebram tuam in Actis Lipsiensibus... recensuit, optavit ut de Arte Divinandi occulte scripta... aliquid ederes... His ego nunc meas preces adderem, nisi gravis aetas tua obstaret, in qua aequum est gaudere te ac frui anteactorum laborum gloria, non vero ad novos labores vocari. Si qui tamen adessent tibi juvenes ingeniosi et discendi cupidi, possent, coram, paucis verbis a te multa discere, quae interesset non perire.... » (Epistola XVIII.)

Wallisii ad Leibnitium (Aprili mense eodem anno).

« Vir Nobilissime Celeberrimeque,

« Quod memoras, de Arte Divinandi occulte scripta, est ea res non certis regulis coercenda, propter infinitatem varietatem Ciphras ponendi,... quae a conjecturis principio postis inchoanda est; quae prout succedere vel non succedere deprehenduntur, vel prosequendae sunt vel mutandae, donec quid certi constat. Sed tanti laboris res est, ut vix sit qui velit ediscere. Misi tamen (ex multis) exemplar unum.... » (Epist. XIX.)

Leibnitii ad Wallisium, 28 maii 1697.

« .... Pro certo habeo tibi superesse praeclaras cogitationes, quibus... vellem non fraudari posteritatem. Itaque licet facile agnoscam Cryptographematum Solutionem certa methodo absolvi non posse; specimina tamen ejus aliqua a Te extare proderit : quibus ipsa Ars Ratiocinandi occultaque pervestigandi augeatur.... » (Epist. XXI.)

Et in alia scripta 28 septembris die, eodem anno :

« .... Optarem non specimina tantum, sed et artificia artis tuae cryptolicae, conservari curares. Est enim in his, velut fastigium quoddam subtilitatis simul industriaeque humanae.... Vides me procuratorem apud te agere, simul et gloriae tuae, et publici boni atque posteritatis.... Vale adhuc diu et fave. »

Idem iterum et saepius anno sequente Leibnitius rogat : Epistola 24 martii 1698 :

ut apparet multis editis libellis, et in religionis gravissimis curis, nam unus electus est sacerdotum qui anglicanum librum precum (the common Prayer-Book) emendarent [1], et praecipue ejus auctoritate rejecta est ab Anglicana Ecclesia calendarii Gregoriana reformatio; in nova adhuc et, ut videbatur, desperata arte sermonem docendi surdos eosdem et mutos [2]; in grammaticis studiis denique, ut apparebit ex ipso hujus opusculi corpore; necnon in poesis blandimentis quibus tot et tam graves labores exiguis intervallis interrupisse videtur [3].

«.... Memini aliquando rogare, ut de Cryptolicis in Artis aliquam formam redigendis cogitares. Id nunc quoque repeto. Est enim in illis summum specimen humanae penetrabilitatis.... Spero apud vos esse cui possis artem tuam velut haereditate tradere.... » (Epist. XXV.)

Et rursus in epistola 29 decembri 1698 (Epist. XXVII), cui Wallisius respondit Jan. 16 $169\frac{8}{9}$:

« .... De Cryptolicis (quod porro mones) dicendum : ... unum tamen aut alterum docturus sum, quibus sit ea methodis aggredienda (si saltem Methodus dicenda sit vaga venatio); monstrando quibus ego passibus indagando soleo procedere : (Quod ipse pro sagacitate sua imitetur) : Non tamen eisdem semper, nam pro vario Ferarum genere, varianda est venatio.... » (Epist. XXVIII.)

1. Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo uno.

2. Studiis quibus primus se dedit Wallisius inductus est ad putandum omnem sonorum varietatem effici per mutationes quasdam organorum vocis, quae autem apte vereque inquisitione determinari possent. Unde hanc opinionem concepit : surdos eosdem et mutos sermonem doceri posse. A quibusdam pertinaciter rogatus, incepit ita docere virum natura mutum et surdum (cui nomen Daniel Whalby of Northampton). Opere incepto, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo, post paulo plus uno anno transacto discipulum docuerat plane enuntiare omnia verba, non exceptis etiam difficillimis extranearum linguarum, atque anglicanam linguam satis expedite intelligere. Idem effecit anno sequente, et virum alterum, Alexandrum Popham nomine, similiter edocuit. — Addendum tamen est laudis certamen fuisse inter Wallisium et aemulum quemdam. Etenim anno millesimo sexcentesimo sexagesimo nono, Doctor Holder, qui edidit « *The Elements of Speech*, an Essay of inquiry into the natural production of letters », sibi laudem ejusdem Popham edocti arrogavit.

3. Vide : « Oratio auspicalis, cui subjuncta est Laudatio Clarissimi Viri

Quis non assentiretur sententiae qua Wallisius omnis vitae suae memoriam amplectitur dicens se utilem vixisse[1]? Quis imo non censeret eum inter principes patriae et aetatis suae, si minus honoribus et officiis, at certe scientia et ingenio fuisse?

Post illam epistolam scriptam in qua jam longam vitam reviserat, sex annos diutius vixit, obiitque septem et octoginta annos natus, octo et vigesimo die Octobris, anno millesimo septingentesimo tertio. In choro Sanctae Mariae, academicae ecclesiæ in Oxonia, sepultus est.

Guil. Camdeni — dicente Ludovico Molinaeo, professore historiae Cambdeniano et Medicinae doctore. Oxoniae, MDCLII. » Post Epistolam Dedicatoriam carmen legitur latino versu ad Cambdeni laudem a Wallisio scriptum. Qui quomodo tentaverit novam anglicae poesi formam attribuere, plura posterius in hoc opusculo legentur.

1. « It has been my endeavour all along... to promote any good design for the true Interest of Religion, of Learning and the public good... and hereby I have been able to live easy, and useful, though not Great. »

« Oxford, January 29, 169$\frac{6}{7}$. »

PARS SECUNDA

CAPUT I

DE PRAEFATIONE LIBRI, ET DE TRACTATU « DE LOQUELA »

Grammaticam suam Linguae Anglicanae Wallisius edidit anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio. Ad hujus generis opus patrandum diversis virtutibus erat paratus : scilicet amplissima linguarum scientia [1], diligenti et accurato studio corporis humani et conditionum quae in hujus organis ad edendos sonos necessariae sunt [2]; denique prudenti cujusque rei observatae censura, et simul illa facultate omnia reducendi ad universas leges quam a mathematico et philosopho exspectari decet.

Ad opus illud incipiendum se dicit ideo adductum esse quod videret peregrinos non paucos linguae anglicanae studendi

1. Exempla adducit permulta non solum ex latina et graeca, sed etiam ex hebraica lingua necnon ex araba persicaque excerpta. Celticum seu Cambro-Britannorum sermonem saepissime allegat, ut qui illam in familiari usu habuerit. Recentiores denique linguas fere omnes novisse videtur, gallicam scilicet, germanicam, belgicam, italicam et hispanicam.

2. De quo pauca supra diximus, in paginis 12, 13.

2

cupidos esse. Alia tamen opera ejusdem generis jam edita erant quorum tria ipse cum laudibus commemorat : unum nempe latine scriptum a Doctore Gill, alterum anglice scriptum a celeberrimo poeta Jonsonio (Ben Jonson [1]), tertiumque belgice scriptum ab Henrico Hexham. Eodem autem errore omnes illos grammaticos laborare censet, omnes ad latinae linguae normam anglicam linguam nimium exigentes [2]. Ipse vero putat maxime diversas grammaticas esse scribendas linguarum quarum naturae maxime diversae sint. Si quis igitur conatus erit declinationes conjugationesque in anglica lingua

1. Quorum hi tituli fuerunt :

« *Logonomia Anglica*. Qua gentis sermo facilius addiscitur. Conscripta ab Alexandro Gil, Paulinae Scholae magistro primario. Secundo edita, paulo correctior, sed ad usum communem accommodatior. » 1621. — Prima editio duobus annis antea apparuerat.

« *The English Grammar*. Made by Ben Jonson. For the benefit of all Strangers, out of his observation of the English Language now spoken, and in use. »

Quis vero nescit ipsum Jonsoni opus, quum in eo esset ut typis mandaretur, incendio consumptum esse? Illae quas, sub nomine grammaticae, notulas tantum et quasi materiem ad grammaticam componendam nunc habemus, editae sunt anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, id est tertio anno post auctorem mortuum.

Unde fit ut Wallisius grammaticam omiserit quam certe novit, nam Oxoniae edita erat? scilicet :

« *The English Grammar*, or the Institution of Letters, Syllables, and Words in the English Tongue. Whereunto is annexed an Index of Words Like and Unlike. Oxford, 1633. » — Auctor erat Carolus Butler, cujus nomen et opus D'Israëli commemoravit quod primum illud constantem usum præbuerit hujus signi quod « semi-colon » Angli, nos vero « point et virgule » appellamus.

2. Jonsonius, quamvis in mente utilitatem grammaticae extraneis habuisse videatur, nomina substantiva tamen in duas declinationes, verba vero in quattuor conjugationes distribuit. Qua ratione inductus fuerit ad istas vanas et implicatas divisiones assumendas videmus ex his praefationis ejus verbis :

« We free our language from the opinion of rudeness and barbarism, wherewith it is mistaken to be diseased : we shew the copy of it, and matchableness with other tongues... »

reperire, frustra ille nitetur ut intricatum faciat quod simplex, ut obscurum quod clarum sit. Anglici sermonis studium multo facilius exteris erit, si grammatica edita erit quae, non diutius vanam unitatem persequens, anglicam linguam talem ostendat qualis sit, valde quidem latinae dissimilis, at omnino simplex et aptissima ad sensum directe et logice exprimendum [1].

Grammaticae praepositus est Wallisii tractatus de sonis qui in linguis audiantur, de eorum formatione et distributione in quasdam classes [2]. Haec operis pars maximi pretii nobis est. In illa enim utilissima invenimus indicia de pronunciatione, quae tunc in usu erat, multorum vocabulorum. Naturam enim et verum sonorum valorem auctor apte indicavit, non modo eos comparando cum aliis ejusdem et exterarum linguarum vocibus, sed etiam demonstrando status omnes et motus qui in organis diversos sonos pariant. Wallisius ipse tractatum suum De Loquela permagni existimabat. Etenim dum alios agnoscit antea grammaticas linguae anglicanae scripsisse, se primum asseverat esse qui tentaverit physicas normas statuere quibus edantur soni omnes in diversis linguis auditi [3].

Utut sit res, feliciter sane vir ille, mathematicus inclytus, theologus tot et tam gravibus curis distentus, aliquam partem temporis et ingenii sui dedit his grammaticis studiis et physicis inquisitionibus quae illa utilissime adjuvant. Grammatica ejus cum tractatu procemiali iterum atque iterum edita est eo vivo

1. « ... Omnes enim ad Latinae linguae normam hanc nostram nimium exigentes (quo etiam errore laborant fere omnes in aliis modernis linguis tradendis).... »

2. *De Loquela* (sive de Sonorum omnium Loquelarium Formatione), Tractatus Grammatico-Physicus.

3. « Nescio an quispiam (me prior) totam loquelae rationem conjunctim et systematice tradiderit. »

necnon post mortem auctoris [1]. Nobis vero, etiam nunc temporis, certissima documenta praebet quae hanc difficilem quaestionem illustrare possint, scilicet quomodo mutati sint soni verborum in anglicanae linguae processu.

De praefatione. — In praefatione, quasi in operis vestibulo, lectorem Wallisius alloquitur ut suscepti operis rationem et « quid in hac re praestiterit » ostendat, et ut linguae anglicanae originem et progressionem exponat. Non multa sane in illa historica parte digna sunt in quibus immorari debeamus; attamen juxta quosdam errores, qui nos docent quam rapido processu scientia ab illius tempore per duo saecula progressa sit, nonnulla quoque recte observata monstrant auctorem virum acuti ingenii fuisse [2].

Omnia fere quae de origine linguae dicuntur fabulosa nobis putanda sunt. Britanniam Galliamque scilicet credit scriptor incolas primos a Phoenicibus aut Trojanis accepisse, et ad illud probandum similitudinem linguarum argumenti loco ponit [3]. Namque magnam (ut opinatur) celtica cum orientalibus linguis affinitatem retinet, non modo in vocum originibus sed

1. Prima editio, anno 1653, Oxoniae; secunda, ibidem, 1664; quam secuta est Hamburgi tertia 1671; in quarta auctiora multa sunt; quinta, quam praecedentes adhuc auctior reperitur in « Johannis Wallis... Operibus quibusdam Miscellaneis » Oxoniae editis, 1699. Editio sexta prodiit Londini, 1765.

2. Ipse quidem multa incredibilia quidem de originibus gentium et linguarum tradita esse ab historicis agnoscit, atque scribit : « Et quamvis fabulae fortasse vetustissimis nonnumquam scriptis immisceatur... multum tamen subesse veri non dubito. »

3. Hic D. Johannes Davies in *Dictionario* suo *Cambro-Britannico*, et Samuel Bochartus, in sua *Geographia sacra* de hoc invocantur; quorum hic ipsum Britanniae nomen Arabicae vel Punicae originis esse putat; nempe Βρετανικη dici quasi « barat anach », hoc est agrum seu terram stanni et plumbi, insulasque Britannicas a Poenis dictas easdem esse contendit quas Graeci Κασσιτερίδας eodem significatu appellaverint.

etiam in syntaxeos ratione. Quo ille Trojanam aut Punicam originem Celticae linguae confirmari putat, nisi potius prisca illa Gallis et Britannis communis lingua, « sicut et aliae Matrices linguae », ab ipsa confusione Babylonica ortum duxerit.

At contra sagaces animadversiones affert ad probandum communem Gallis et Britannis sermonem fuisse. Denominationem etiam eamdem permanere demonstrat sub nominibus quae dissimilia saepe videantur. In Wallia (quam Angli « Wales » appellant) et in « Gales » (ut ipsi Galli vocant); in « Walshen » (quo nomine Germani Gallos appellant), idem nomen esse ostendit ac in « Wallis » et « Wallonibus [1] ». Juglandes alibi notat in Anglia « French nuts » (nuces gallicas), alibi eodem sensu « Wall-nuts » (hoc est Walsh-nuts) appellari; Galatas item seu Gallo-Graecos linguam suam secum ex Gallia deportasse putat, et Gallovidiam in Scotia ab ejusmodi nomine originem forsan duxisse opinatur [2].

Item, quum Anglo-saxonicam linguam a Normannis mutatam ostendit, animalia viva, in moderna anglica lingua, nominibus Germanicae originis designari animadvertit, quorum tamen caro in cibum parata originis Gallicae nominibus appelletur; scilicet, bovem, « an ox »; vaccam, « a cow »; vitulum, «a calf »; ovem « a sheep »; porcum, « a hog »; aprum, « a boar »; feram, « a deer » anglice dicunt; sed carnem bubulam, vitulinam, ovinam, porcinam, aprinam, ferinam dicunt « beef », « veal », « mutton », « pork », « brawn », « venison », etc.

1. Ad eamden originem Gallicae provinciae nomen quam Gascogne habemus Wallisius referre tentat; sed quomodo « Vasconiam » a « Gallia » deducat non plane apparet.

2. Scotorum nomen ipsum a Scythis aut Gothis ortum esse inconsulte opinatur.

Hinc vero id ortum putat, quod Normanni milites pascuis, caulis, haris locisque quibus vivorum animalium curaageretur, parcius se immiscuerint, quam macellis, culinis, mensis, epulis ubi vel pararentur vel haberentur cibi.

Illam Wallisii paginam forte celeberrimus auctor Gualterus Scotus (Walter Scott) novit quum in opere suo, cui titulus *Ivanhoe*, multa eidem sententiae convenientia concinne disseruit.

De tractatu prooemiali « De Loquela ».

Illa, ut supra dictum est, pars libri nova et vere propria erat. Cum enim in perspicienda sonorum natura, non ipsos quidem sonos hujus aut alterius linguae considerare incipiat, sed ipsa organa corporis quibus illi pariantur, et omnes quae in organorum statu possint fieri mutationes, deinde diversos omnes sonos qui ad eas commutationes respondeant, audax quidem et fecundum simul opus aggreditur. Eo enim Wallisius pro re mire incerta, scilicet opinione quam unusquisque exprimere possit de vera natura cujusdam soni, studio litterarum fundamentum dabat inquisitionem de natura organorum et in eorum modo operandi ad sonos producendos. Idem igitur considerationibus grammaticorum necessario dubiis et omnino empiricis certa quaedam substituebat in corpore humano observata quae facile explorari aut iterum effici possent. Denique in medio septimo decimo saeculo nova studia instaurabat quae scientia recentioris et praesertim nostrae aetatis longius egit et quibus maximam utilitatem cepit. Nemo certe illud magna laude dignum esse negabit quod, anatomiam

sedulo edoctus, Wallisius praeviderit quanti momenti futura esset nova illa scientia « phonetica » cujus primum certum exactumque tractatum ipse dedit [1].

Haud quidem id mihi propono ut scriptorem per omnes partes tractatus de formatione sonorum sequar. Hactenus exponam qua ratione, quibusnam naturalibus corporis actionibus sonos varios informari demonstraverit, tabulamque exhibebo in qua sonos vel litteras in ordines distribuit. At, in fine hujus opusculi, indiciis utar quae inveniuntur in tractatu « De Loquela » necnon in brevi tractatu de anglicae linguae pronuntiatione, qui grammaticæ ipsi præpositus est, et seriem componam omnium anglicorum vocabulorum quae Wallisius in opere suo posuit et quorum pronuntiationem, huic quae nunc dierum in usu est dissimilem, ita scriptor expressit ut pernoscere possimus qualis olim fuerit.

De litterarum omnium formatione. — Qua ratione pariantur soni et voces quibus constat hominum sermo sic Wallisius exponit : ex pulmone per asperam arteriam efflatur spiritus; ex ejus varia collisione sonorum oritur varietas, tam quoad tonos quam quoad articulationem. Haec autem non ab ipso pulmone provenit; illud enim solum praestat in loquela pulmo quod in musicorum organis pneumaticis folles. Tonorum varietas, quoad gravitatem scilicet et

1. Si Indicorum grammaticorum opera, nomine Prâtisakhyas, Wallisius novisse manifesto non potuit, Graecorum saltem, Platonis nempe in Cratylo et Atheniensium Alexandrinorumque de re grammatica scriptorum distributiones litterarum certe novit, ut quidem ex similitudine quadam apparet inter ejus et eorum tabulas. Sed illos sine dubio aestimabat consideravisse sonos unius linguae ; ipse autem sonos per se, non in hac aut illa lingua, respexit, inquirens quos sonos vocis instrumenta emittere possint. Eo sensu se primum tale opus aggressum esse non immerito putabat.

acumen, partim ex trachea ortum habet; nam ea, ut tubus, longior et strictior sonum efficit magis acutum, brevior autem et magis dilatata graviorem. Sed praecipue ex larynge, seu nodo gutturis varietas oritur; prout enim laryngis rimula magis minusve aperitur, ita et vocis tonus magis gravis est aut acutus. Si inter loquendum tremula fit laryngis et tracheae concussio (nempe propter tensionem), fit aperta loquela; sin minus, fit susurrus (laxiore nempe trachea et minus tensa). Vocum articulatio tunc incipit postquam spiritus extra laryngem pervenit, et naribus, ore, lingua, labiis fere tota perficitur.

De Vocalibus. — Simplices soni, vel litterae, seu vocales sunt, seu consonae [1]. Vocalium sonos omnes in tres classes Wallisius distribuit, et illas Gutturales, Palatinas et Labiales appellat, quippe quae in gutture, palato aut labiis formentur. Quarum unaquaeque classis tres vocalium sonos comprehendit pro triplici nimirum, in singulis sonorum locis, oris apertura : majore, mediocri, minore. Novem igitur vocalium sonos esse agnoscit, nec plures se reperire declarat, nam Anglorum **î** latum sonum esse simplicem justissime haud existimat. Numerus ille perexiguus videbitur si comparatur tabulis in quibus nostri de re phonetica scriptores sonos linguarum enumeraverunt, quorum nonnulli haud minus quam sex et triginta primitivas vocales computant [2]. At ipse Wallisius, dum

1. Postquam litteram dixit sonum esse simplicem seu incompositum, in simpliciores indivisibilem, nonnullos ad id contradicturos praevidet qui forsitan contendant litteram non sonum sed characterem esse. Nullomodo contra illam opinionem repugnat Wallisius; sed sonos per se non in hac aut illa lingua considerans sono simplici cuique unam litteram attribui posse existimat.

2. Cf. « Henry Sweet, *A History of English Sounds from the earliest period* », in pagina 2.

omnes sonos ad illa novem exemplaria reducendos censet, non negat alias vocales forsitan pronuntiari; namque, ut mathematicum decet, declarat aperturae mensuram instar quantitatis continuae divisibilem esse in infinitum. Item vero, quamvis non id expresse dixerit, nihil certe objectavisset opinioni eorum qui existimant medios sonos produci in mediis sedibus et, exempli gratia, ex concussione aeris in ea parte oris quae neque palatum neque guttur sit, sed ambobus sit proxima. Si denique dicimus grammaticum nostrum putavisse omnes vocales tam productionis quam contractionis capaces esse, unde syllabarum longarum breviumque discrimen oriatur, nulla certe videbitur discrepantia inesse inter distributionem vocalium ab eo excogitatam et illas in quibus recentiores scriptores multo plures sonos enumerant.

Vocalium omnium Synopsis ut a Wallisio datur [1].

		Apertura.		
		majore	media	minore
Vocales.	Gutturales	â aperta o	e femineum	u o obscurum
	Palatinae	á exile	é masculinum	ee, î exile
	Labiales	ô rotundum	oo, û pingue	ú exile.

De Consonis. — Consonantes in tres classes, non secus ac vocales, Wallisius distribuit quas vocat labiales, palatinas et gutturales, nam his in sedibus spiritus ex pulmonibus emissus vel intercipitur, vel saltem fortius comprimitur.

1. Quae synopsis non multum dissimilis videbitur huic quae in libro recentissime edito datur, si eadem significari meminimus vocibus « back »,

At ipsa spiritus directio triplex esse potest. Dirigitur nempe vel totus ad fauces, vel ad nares fere totus, vel denique quasi aequaliter inter fauces naresque. (Diversitatem ex varia uvulae positione totam provenire noster grammaticus credit.) Quum vero spiritus singulis hisce tribus modis emissus possit etiam in singulis illis locis penitus intercipi, novem diversae consonantes hinc originem sortiuntur, quas primitivas sive clausas appellare libet. Si vero solummodo arctiùs comprimitur spi-

« mixed », « front » quae Wallisius per voces « gutturales, palatinae, labiales » exprimebat.

COMBINED SCHEME OF VOWELS, ENGLISH, FRENCH AND GERMAN.

	BACK.		MIXED.		FRONT.	
	ROUND.		ROUND.		ROUND.	
	Nasal.	Nasal.			Nasal.	Nasal.
Close	pool				F. pu	feet
	put				G. dünn	pit
Half-closed	pole				F. peu	fate
Half-open	G. Sonne		F. le	vill*a*	G. können	pet
	F. homme F. p*on*t			burn	F.peur F.*un*	fairy F.p*in*
		but				pat
Open		father		F. patte		
	Paul	F.pâte F.p*an*				
	pot					

An Introduction to Phonetics (*English, French and German*) by LAURA SOAMES. London, 1891. In pagina 13.

ritus, varii alii soni efficiuntur, quas consonas derivativas sive apertas appellat Wallisius.

Non quidem scriptorem per longam expositionem consonantium sonorum et modorum in quibus formentur sequar; duo tantum exempla hic proferentur quae sensum manifestum faciant, priusquam synopsim ejus sonorum consonantium ponamus.

Si spiritus per fauces ad labia directus occlusis labiis intercipitur, formatur *P*. Si vero ad labia non pervenit, sed in palato penitus intercipitur (admota linguae parte extrema ad anteriorem palati partem) formatur *T*. Si vero ne huc quidem pervenit, sed summo gutture intercipitur, *K* (vel *C* durum) formatur. Quae tres mutae consonae sunt, nullum enim per se sonum edunt. — Eodem modo explicatur formatio semi-mutarum et semi-vocalium consonarum quae totum numerum consonarum primitivarum supplent.

Eadem manente formatura, si spiritus arcte compressus exitum (aegre licet) invenit, formantur consonae apertae, subtiliores seu tenuiores [1] si per rimulam oblongam, crassiores vero si per rotundum quasi foramen spiritus exit.

Si litteram *P* pronunciaturo spiritus erumpit, fit aspiratio *F* vel *Ph*.

Si litteram *F* pronunciaturo spiritus per rimulam exit, formatur Anglorum *V*.

Si vero spiritus per foramen rotundum exit, formatur Anglorum *W*, quam a quibusdam pro vocali habitam, Wallisius tamen revera consonam esse putat.

1. Quam diversos sensus moderni ac veteres de re grammatica scriptores attribuant huic vocabulo, Max Muller patefecit in *Novis Lectionibus de Sermonis scientia*, in pagina 119 gallicae editionis.

Labialium formatione sic exposita, palatinarum et gutturalium consonarum originem et naturam grammaticus inspicit, nonnullas sagaces animadversiones enuntians. Formationem utputa soni quem per *dh* designat postquam explicuit [1], usum signorum quae in anglica lingua hunc sonum exprimunt per eorum mutationes sequitur. Anglo-Saxones nempe per proprios characteres (Ð, ð) illum scribebant. Sequentibus autem seculis Angli eumdem characterem illi et sono quem Graeci per θ scribebant adhibuerunt, scilicet litteram þ, cui nomen erat spina. Ille autem paulatim degeneravit in characterem nostro *y* valde similem, qui in libris quam plurimis manu scriptis perpetuo conspicitur in iis vocabulis quae nunc per *th* scribuntur. Atque inde mos olim invaluit qui etiam adhuc non raro retinetur scribendi y^e, y^t, y^u pro « the », « that », « thou » [2].

Ab extraneis hos sonos (nempe graecorum θ et δ) saepius male enuntiari Wallisius notat, nam Galli plerumque *t*, Belgae *d*, alii nonnumquam *s* substituunt. Nullo modo tamen, ut ait, difficile est genuinos hosce sonos proferre; cum omnia eodem modo maneant ac si prolaturus quis esset litteras *t*, *d*, nisi quod spiritus erumpere possit ; caveat autem extraneus necesse est ne assurgat aliquantulum linguae pars extremitati proxima, atque ita *s* vel *z* efficiat. Ex quo videmus rationem

1. « Literam D pronunciaturo, si spiritus erumpat modo pinguiori, et quasi per foramen, formatur Græcorum Δ, Arabum *Dhal*..., Hispanorum *d* mollius ut in « Trinidad », « Majestad ».

2. Nescio an Wallisium hanc explanationem primus protulerit istius usus qui ad tempus nostrum pervenit quum *ye* pro *the* adhuc scribatur. Jonsonius certe quum de eisdem sonis et litteris disserit, syllabas quasdam notat quae arctationis causa scribebantur $\overset{e}{y}$ pro *the*, $\overset{en}{y}$ pro *then*, $\overset{ere}{y}$ pro *there*, $\overset{t}{y}$ pro *that*, sed nullam mutationis anglo-saxonicarum litterarum in *y* explicationem offert. (Cf. *The English Grammar*, caput. VI.)

hos sonos edendi dissimilem tunc temporis fuisse illi quae nunc a magistris praecipitur, nulloque contactu dentium et linguae *th* partum fuisse.

Etiam notatione haud indignum id forsan videbitur quod unam tantum litterae *r* sono naturam Wallisius attribuit. Nempe si extremitas linguae litteram *D* vel *N* pronunciaturae introrsum flexa spiritum exiturum forti quidem et frequenti concussione verberat, ex eo conflictu tremulo auditur, ut ait, sonus consonae *r*. Ex quo plane scimus illum nunquam audivisse hunc sonum quo *r* apud plurimos Gallos emittitur, concussione non linguae sed uvulae editum.

Alterum librariorum errorem in characterum usu Wallisius sic notat et explicat, postquam de consonae *y* natura et formatione dixit : « Affinitas hujus cum *g* et *gh* inde manifesta est quod *light*, *might*, *thought*, etc., in manuscriptis libris saepissime per *y* consonam scripta legimus, eodem nempe charactere quo *yet*, *yonder*, etc. Triplicem nempe figuram habuerunt : unam þ pro qua nunc *th*, alteram, huic valde similis, quae loco *i* vocalis solebat pingi, et tertiam ȝ quam pro *y* consona perpetuo scribebant. Haec etiam in illis vocibus reperitur quae nunc per *gh* scribuntur. Hunc autem prout tunc pingi solebat nescientes forsan posteriores librarii, characterem litterae Z foedissimo errore substituerunt; unde monstra illa vocabulorum : **Thouȝt**, **souȝt** pro *thought*, *sought*, seu potius pro *thouyt*, *souyt* in impressis Chauceri aliorumque veterum poetarum conspiciuntur. »

Omnes consonarum sonos simplices in suas familias seu classes a Wallisio distributas sic uno aspectu intueri licet[1] :

1. Cui comparandum exponam schema datum a Laura Soames (*loc. cit.*),

CONSONARUM OMNIUM SYNOPSIS.

Consonae.	Labiales.	Semi-muta	P	F	F	
		Semi-muta	B	V	W	
		Semi-vocalis	M	Mugitus.		
	Palatinae.	Muta	T	S	Th	
		Semi-muta	D	Z	Dh	L R
		Semi-vocalis	N	Gemitus.		
	Gutturales.	Muta	C	Ch	H	
		Semi-muta	G	Gh	Y	
		Semi-vocalis	ñ	Gemitus.		
				Subtiliores.	Pinguiores.	
				Aspiratae.		

Auctor noster in Sectione quarta sonos compositos tractat sive vocalium sive consonarum. Multa quidem nobis illic notanda sunt quae ad mutationes pronuntiationis pertinent, at in alia hujus opusculi parte ea invenientur. His tandem verbis Tractatum suum « de Loquela » Wallisius ad finem perducit :

« Notandum est apud varias gentes nonnihil diversitatis inter pronunciandum reperiri, quae non tam singularum litterarum, quam totius potius loquelae communis est affectio.

in pagina IX, in quo videmus modernum sonum gallicae consonae *r* notari quem Wallisius manifesto non novit. (Vide tabulam in proxima pagina).

Combined Scheme of English, French and German Consonantis.

	Lips.						Lip-Teeth.		Point Teeth.		Point.				Palatal.		Back.		Glottal.
	Simple.		Front-Round.		Back-Round.														
	Hard.	Soft.	Hard.	Soft.	Hard.	Soft.	Hard.	Soft.	Hard.	Soft.	Hard.	Soft.	Hard.	Soft.	Hard.	Soft.	Hard.	Soft.	Hard.
Stops.	p	b									t	d					k	g	
Liquids: Nasal		m										n				rè*gn*e		ng	
Liquids: Side											‘l	l							
Liquids: Trill											‘r	r					‘r²	r²	
Continuants		z*w*ei	p*u*is	b*u*is	wh	w	f	v	th	dh	s	z	sh	zh	i*ch*	y	a*ch*	Wa*g*en	h

Angli nempe totam pronunciationem quasi promovent versus anteriorem oris partem, et faucibus apertioribus loquuntur; unde et soni fiunt distinctiores. Germani potius retrahunt versus posteriorem oris partem et gutturis imum, unde fortius et magis strenue pronunciant. Galli propius ad palatum omnia formant et faucibus minus dilatatis, unde pronuntiatio evadit minus distincta, et quasi admisto murmure confusa. Item Itali et praesertim Hispani productiori tenore loquuntur; Galli magis properantur; Angli tenore medio. Galli (et Scoti eorum aemuli) periodorum et clausularum postremas syllabas elevant seu acuunt; Angli deprimunt seu gravant; quae non tam singularum vocum quam totius sententiae tenoris est affectio. »

Considerationes illae manifesto procedunt a mente curiosa acutissimaque ad observandum. Non tamen eas omnino accipiamus nunc temporis, sive quia nunc mutatione linguarum falsum factum est quod justum quondam fuit, sive quia Wallisius ipse citius a factis quibusdam, alia vero negligens, ad communem conclusionem pervenit. Nam si consideramus quid de Anglorum pronuntiatione dixerit, num agnoscemus in illis constantem, ut dixit, propensionem ad sonos promovendos ad anteriorem oris partem? Multos fateor sonos in anglica lingua audiri qui in anteriore parte oris formantur, scilicet sibilantes[1] praecipue, et praesertim duos illos per *th* scriptos. At si vocales contra inspexerimus, eas potius in posteriore parte oris ab Anglicis pronuntiari observabimus, et isto retrogressu

1. Nullam forte linguam tot sibilantibus sonis in fine vocabulorum refertam esse quisquam consentiet si meminerit tres praecipuas desinentias in anglica lingua in una eadem consona *s* constare : scilicet pluralis numeri et singularis genitivi casus in substantivis, atque in verbis tertiae singularis personae.

multae sonorum mutationes, a Wallisii tempore usque ad nostrum effectae, possunt, ni fallor, explicari [1].

1. Id melius apparebit inspectis vocabulis quae posterius enumerabuntur, si comparata erit pronunciatio quam olim praebebant cum illa quae nunc dierum in eisdem auditur. Hic vero, exempli gratia, pauca specimina exponere licebit. Gutturales illi soni vocalis *a* qui nunc audiuntur, ut in vocibus *fall*, *folly*, etc., aut in *path*, *far*, etc., sonis qui in media oris parte producebantur sunt substituti, tempore non a nobis remotissimo. Item *u* lati pronunciatio quum ab *iou* mutatur in *ou* (ut a multis jam factum observamus) eamdem proclivitatem indicat ad sonum removendum ad posteriorem oris partem. Simili causa explicari potest mutatio illa qua *r* consonae sonus in fine vocabulorum saepius evanuerit, substituto incerto quodam sono vocalis gutturalis qui tunc litterae *a* tunc litterae *e* proximus est; ita ut quum *are*, *fir*, *bur*, *her*, *pair*, etc., scribimus, pronunciemus *â-â*, *feu-e*, *heu-e*, *pai-e*, etc.

Magna tamen exceptio notanda est in constante proclivitate linguae ad multorum diphtongorum sonos mergendos in sonum vocalis *i* latum, ita ut *ea* hunc sonum assumat etiam in vocabulis in quibus littera *a* addita est ut pristinus vocalis *e* sonus servaretur.

CAPUT II

DE PRONUNCIATIONE

Sectio I. — **De Consonantibus**.

Consonarum plerisque eumdem sonum habentibus apud Anglos quem alibi fere ubique habent, de paucis tantum quaedam animadvertenda esse Wallisius existimat.

C ante vocales *e*, *i*, *y* ubique mollius sonatur, ut littera *s*; alibi semper durius et suo sono, nempe ut Græcorum χ. Quoties vero *c* durum sonandum occurrit ante *e*, *i*, *y*, vel adjungitur vel substituitur *k*; ut in *keep*, *skin*, *skill*, *publick* aut *publike*. — His certe nihil contradicendum est; at grammaticus mox, studio originis vocabulorum inveniendae raptus, derivationes quasdam incaute proponit, scilicet anglicanum *skill* a latino « scio », *cat* a « cato », et *reckon* a « recognosco », aut *recken* a « recenseo ».

De consona *s* notat quantae commoditatis esset durum a molli sono distingui breviore charactere ut *his*, *advise* (consulo), at longiore in *hiſſe* (sibilo), *adviſe* (consilium.) — Acuto

et stridulo sono illa consona profertur ubi genuinum suum sonum obtinet; at ubi dictionem claudit fere semper, et ubi media inter duas vocales occurrit non raro obscurius seu mollius profertur, ut *z*. *S* finale durum occurrit tantum in quatuor monosyllabis : *yes*, *this*, *thus*, *us*. Nam errore manifesto quidam tunc scribebant *needles*, *coynes*, *lightnes*, pro *needlesse*, *coynesse*, *lightnesse*, vel saltem pro *needless*, etc. At qui scribebant *greenes*, *fines*, etc., pro *greenness*, *fineness*, etiam errorem duplicabant. Nullum quidem istorum vocabulorum usque ad nos in lingua permansit, at unum habemus eodem errore formatum, id est *riches*, quod igitur post Wallisii tempus ortum esse videtur.

De consona *x* et vero ejus sono qui compositus est a sono litterae *c* et litterae *s* Wallisius Gallos monendos vellet qui tunc, ut videtur, sonum consonae *c* supprimere solebant.

Y hic ut consona, illic ut vocalis sono pronunciatur. Quoties vero pro vocali censenda littera est, eam superne puncto notari optat grammaticus, ut olim factum est saltem apud Anglo-Saxones et antiquiores Anglos, ut in manuscriptis libris liquet.

J consona tunc sono omnino dissimili nostro *j* proferebatur, nam illud per *dy* Wallisius exprimit; de quo plura posterius dicenda erunt.

Quod de consona *j* dixit, idem Wallisius accidere notat de littera *g* quoties molliore sono proferenda sit, quoties nempe vocales *e*, *i* aut *y* consonam sequantur, exceptis vocibus Germanicae originis. Hic vero iterum grammaticus noster optat ut puncto supra posito littera *g* notetur quum molliore sono sit proferenda, quod, ut ait, exteris linguam anglicanam addiscentibus maximo futurum sit adjumento.

L, ut videtur ex Wallisii animadversionibus, pluribus in vocabulis tunc jam reticebatur, ut in *talk*, *walk*, etc.; de quo plura ulterius.

Sectio II. — **De vocalibus**.

Priusquam sonos singularium vocalium in lingua anglicana consideret, generales de omnium earum litterarum usu opiniones Wallisius primum exponit. Vocales, eo judice, plerumque, quum syllabam claudunt, producuntur; quum syllabam non claudunt, saepissime corripiuntur. Qua in re Angli Wallisio videntur Hebraeos imitari, genuinamque igitur anglicanae linguae rationem antiquam esse putat.

Illi libentius assentiemur quum postea non similitudinem cum Hebraica, sed dissimilitudinem a Graeca latinave lingua indicat. Nos enim monet utrique linguae eam naturam a grammaticis attribui ut intermediae consonae, quantum fieri possit, ad sequentem vocalem sint conjungendae (πα-τὴρ, πα-τρὸς, ἄ-στρον, τέ-μνω; uxor, o-mnis, ma-gnus, etc.). At in anglicana lingua rem plane contrariam videmus, et consonae intermediae ad praecedentem vocalem retrahuntur. Non mirandum igitur si audiamus *lett-er*, *matt-er*, *gen-er-al*, *Ox-on*, *mag-nify*, *pub-like*, *Doct-or*, etc., quum latine dicendum sit (si grammaticos audiamus) *li-tera*, *ma-teria*, *ge-ne-ra-lis*, etc. Id autem auctor insinuatum vellet, regulam de producenda vocali quae syllabam terminet, de corripienda autem quae consonante claudatur, intelligendam esse de syllabis sic divisis ut loquendo (magis quam scribendo) factum observemus.

Quae nobis excerpenda sunt ex paginis qùas Wallisius studio

vocalium anglicanarum impertivit in altera parte invenientur. Pauca tantum hic referemus ex his quae de vocali *e* scripsit. Illam litteram in fine dictionis omnino mutam esse declarat, exceptis articulo demonstrativo *the* et nominibus aliquot propriis aliunde deductis, ut *Phoebe*, *Penelope*, etc. Nam pronomina *he*, *she*, *we*, *me* aut auxiliare verbum *be* rectius scribenda putat *hee*, *shee*, *mee*, *bee*. Quoties vero vox aliqua terminanda occurrit ejusmodi sono, vel subjungitur alterum *e* mutum, ut in *Pharisee*, Pharisaeus, vel subjungitur *a*, ut in *sea*, *flea*, *plea*, *pea* (pisum), *yea* (ita), etc., vel *y* ut in *Marshalsey*, *Winchelsey*, *Langley*, *Handley*. At, contra ac dicitur hic, proprius diphtongi *ea* sonus non *î* sed *é* tum erat, exceptis hujus modi vocabulis, ut ulteriùs videbitur.

Ubi cumque nunc littera *e* muta est in fine dictionis, eam antiquitus pronunciatam esse, saltem obscuro modo, Wallisius censet. Unde fit ut, una consona interveniente inter vocalem et finale *e* mutum, prior vocalis longa sit quasi syllabam terminet : *take*, *wine*, *one* fuerunt olim *ta-ke*, *wi-ne*, *o-ne*, ut ostenditur servata praecedentis vocalis quantitate. Item *e* mutum videmus antiquitus perpetuo annecti vocabulis plurimis (e. g., *blacke*, *darke*, *marke*, *selfe*, etc.), ubi quidem sonus litterae sensim evanuit, sed certe quondam auditus est. Hoc patere grammaticus noster existimat exemplo vocabuli *blackamore* (hoc est *blacke-more*), aut vocabulorum multorum in quibus *y* in fine stet pro *e*, ut *baby*, *clemency*, *naughty*, etc.

Diphtongos et consonas aliquot conjunctas in tertia quartaque sectione ejusdem capituli scriptor percenset. Multa illic ab eo dicta magno usui mihi erunt quum exponam quae fuerit pronunciatio vocabulorum nonnullorum qualem Wallisius fuisse monstrat. Hic tamen unam ejus notam referam, illam

nempe qua vocabula conjunctas consonas *th* continentia in duas classes dividit. « *Th*, inquit, duplicem admittit sonum, « alterum molliorem, affinem litterae *D*, alterum fortiorem affi- « nem litterae *T*. Molliorem habet in Pronominibus, Relativis et « Conjonctionibus omnibus (*Thou*, *thee*, *thy*, *the*, *this*, *these*, « *those*, *they*, etc.). In paucis item nominibus et verbis, praeser- « tim in *ther* finitis (ut *father*, *leather*, *neather* [inferior], « *smooth*, *seethe*, *wreathe*, *bequeath* [testamento], etc.). Alibi « semper fortiorem seu duriorem sonum obtinet ut in praepo- « sitionibus *with*, *without*...; in verbis, *think*.... in substan- « tivis : *thought*..., et adjectivis, *thick*.... »

Ex quo videmus illam distributionem soni inter vocabula secundum eorum naturam non tam omnino tunc in usu fuisse quam apud nos. Nam in praepositionibus (*with*, *without*) molliorem sonum proferimus sicut et in articulis, pronominibusque et aliis vocabulis quae nullum per se sensum praebent, non autem duriorem ut in plerisque verbis, substantivis, vel adjectivis.

CAPUT III

DE ANGLICANAE LINGUAE STRUCTURA

Hoc, in initio capituli, justissime Wallisius asseverat : « Anglicana lingua est omnium quas scio facillima. » Lectorem postea monet ne animo praesumat omnia in hac anglicanae linguae grammatica Latinorum linguae apte responsura esse. Nec id laude indignum videbitur si recordamur multos grammaticos, non solum ante ejus tempus, sed etiam ulterius, strenue nisos esse ut, in Anglicanae linguae regulis exponendis, exemplar Latinae sequerentur. Ut enim Wallisius rectissime profert, tum anglicana, tum recentiores fére omnes linguae a Graecae Latinaeque linguae syntaxi miro modo discrepant . Quam rem cum pauci animadvertant, in regulis anglicanae sermonis tradendis plerique plus implicati laboris suscipiunt quam necesse est [1].

1. Ben. Jonson, ut unum exemplum proferam, verba in quinque conjugationes nominaque substantiva in duas declinationes distribuit, nominumque sex genera enumerat : « 1° masculine, 2° feminine, 3° neuter, 4° epicene, 5° doubtful, 6° common of three ».

De nominum substantivorum genere. — Nomina substantiva nempe quae prima grammaticus noster inspecturus est, nullum generum vel casuum discrimen praebent. — Hic tamen auctorem diutius moratum esse in illa anglicanae ab antiquis linguis discrepantia cupiremus. Philosophum enim et eruditissimum virum decuisset propriam anglicanae naturam indicare. In illa enim natura recentiorum, si eas cum antiquis compararemus, clarius quam in alla ulla apparet. Illa etiam, excussis grammaticae impedimentis, instrumentum menti praebet simplicissimum simul et potentissimum.

Paucissima de nominum substantivorum generibus dicit Wallisius. « Nos, inquit, distinguimus distinctis vocabulis, vel adjunctis adjectivis . *a man*, *a woman*; *a youth*, *a mayd*;... *a male hare*, *a female hare* [1]. » Nec ei occurrit aliud esse discrimen sexuum, aliud discrimen generum, et illam distinctionem in pristina lingua anglicana praevaluisse. Grammaticus igitur omnino silet de levibus vestigiis adhuc relictis in moderna lingua terminationum quibus sexus olim indicabatur, scilicet *en* in *vixen* [2], vel *ster* in *spinster*, *songster*, *tapster*, *Baxter*, *Brewster*, *Webster*, *huckster* [3]. Nec ullo modo animadvertit hanc singularem linguae anglicanae naturam, quae sola inter omnes discrimina generum in vocabulis utilissime repudiavit.

De numero. — Expositio formarum quibus pluralis

1. Hac in re sine dubio Wallisius partim errabat. Etenim *e* finale, quarto decimo, quinto decimo et sexto decimo saeculis, vocabulis additum fuit novo quodam modo et persaepe ad exemplum gallicae linguae.

2. In uno solum altero vocabulo inventa, Scotorum nempe *carlin*, anus.

3. Quod vocabulum usque ad recens tempus femineum valorem retinuit. Alia autem omnia, praeterquam *spinster*, omnino masculina facta erant, ut Doctor Morris notavit (*Historical outlines of English Accidence*, in pagina 90).

numerus notatur tunc occurrit. Postquam animadvertit auctor noster pluralem formari addendo *s*, exitus enumerat nominum post quos necessitas pronunciandi requirit *es* addi pro *s*, scilicet exitus *s*, *z*, *x*, *ch*, *sh* (ut legere possumus in cunctis grammaticis), atque etiam *c* et *g*. Num censeat *g* molliore sono productum in fine nominum quorundam audiri, non clare apparet, quoniam in exemplo dato (scilicet nomine *age*) *s*, non *es*, additur ad pluralem formandum [1].

Quid de altero pluralis numeri flexu Wallisius dicat ipsius verbis breviter referam : « At olim etiam per *en* vel *yn* formabant pluralia, quorum pauca admodum adhuc retinemus : *ox*, *chick* — *oxen*, *chicken* (sunt qui dicunt in singulari *chicken* et in plurali *chickens*). Item *a fere* « filix », *fern* (verum nunc plerumque *fern* utroque numero dicitur, et in plurali *ferns*, nam *fere* et *feres* prope obsoleta sunt). Dicunt etiam nonnulli (sed rarius) *housen*, *eyn*, *shoon*, etc. »

« Dicunt nonnulli *a pease*, *peasen*, at melius *a pea*, *peas*. — Sunt etiam alia vestigia : *A man* (olim *manne*), *a woman*, — *men*, *women* (*wemen*, *weomen*) per syncopen pro *mannen*, *womanen* (Saxonicè olim dicebant *a man*, *a weapon man*, vir, *a wyf-man* vel *womb-man*, mulier). *Brother*, *child* — *brethren*, *children*. *A cow*, pluraliter *keen* vel *kîne* (quasi *cowin*.) *Swine* (quasi *sowin*) pluralis forma erat nominis *sow* (at nunc *sow* tantum de sue faemina dicitur, *swine* vero in utroque numero, de utroque sexu). — Sunt et alia pauca irregularia : *mîce*, *lice* (vel *mecce*, *lecce*), *feet*,... *sheep*, *hose* « caliga » promiscue dicuntur in utroque numero... *Wife*, *life* fiunt pluralia mutatione consonae *f* in *v* priusquam *s* adhibeatur : *wives*, *lives*.

1. Idem Jonsonius dixerat de terminatione *g*, idemque exemplum, *age*, adhibuerat quod ad confirmandam regulam nullo modo pertinere videtur.

Eadem allevatio est consonarum *s* et *th*, quamvis retento charactere, in *houses*, *clothes*, *pathes*. »

Veris nonnulla falsa admiscentur in illa grammatici nostri pagina. Pluralia olim formabantur, ut ait, per *en*, quod prius *an* fuit, non autem per *yn*. Hanc vero terminationem falso, ut videtur, fingit ad explanandas illas pluralis numeri formas quae occurrebant in *swine* aut *kine*.

Ox a Jonsonio datur exemplum secundae substantivorum declinationis; at, si Wallisius nostra scribendi ratione utitur, prior grammaticus vocabulum singulare *oxe* scribebat. — *Chicken* Wallisius magno errore existimat fuisse pluralem formam a singulari *ckick* ortam; at contra *chick* inepte deductum est a *chicken* quae singularis sane forma erat.

Eodem modo verisimiliter *fere* et *feres* deducta sunt a *fern*, cujus *n* finale pro signo pluralis falso conjectum est. In Anglo-Saxonum lingua vocabulum erat *fearn*.

Housen (nonnumquam scriptum *hosen*), *eyn* (aut *eyen*), et *shoon*, non omnino evanuerunt, et in quibusdam provinciis adhuc audiri possunt. *Een* praesertim Scoti dicuntur servavisse [1].

Dum Wallisius praefert *a pea*, *peas* aliis formis quae simul in usu erant *a pease*, *peasen*, *pea* recenter tamen formatum est ab antiquiore *peas*, quum hujus vocis *s* pro signo pluralis numeri stare false interpretati fuerunt. Origo enim est latinum vocabulum « pisum » quo explicatur consona *s* in *pease*. Novum quin etiam vocabulum *pea* Wallisii tempore fuisse

1. Edm. Spenserius plurali vocabulo *eyen* utebatur; in ejus scriptis alterum quoque ejusdem modi vocabulum invenitur, *foen*, pro plurali forma singularis nominis *foe*, at falsa analogia, nam *fan*, *fon* singulares formae in pristina anglicana lingua erant (De quo cf. Rev. Rich. Morris, *Historical Outlines of English Accidence*, in cap. x, sectione 80).

credo, nam Jonsonius plane dixerat quattuor tantum vocabula per *ea* finita suo tempore fuisse : *sea*, *flea*, *yea* et *plea* [1].

Eamdem opinionem habet Jonsonius de origine pluralis *men*; namque ut Wallisius, eum esse syllabarum coitum pro *mannen* existimat. At in Anglo-Saxonum *mann* pluralis forma orta esse videtur potius ex mutatione vocalis in corpore vocabuli. Quod dicitur de discrimine in pristina lingua inter *a weapon-man*, « vir », et *a wif-man* « mulier » justum est et dignum quod notetur. Wallisius enim hic lectorem docet nomen *man* primitus significavisse personam absque ullo sexus sensu. Sed ille errat quum *woman* primum fuisse *womb-man* putat. Vocabulum anglo-saxonicum erat *wif-man*, quod decimo seculo factum est *wimman* et in plurali numero *wimmen*, ut adhuc id audimus in productione vocabuli. Duodecimo saeculo singularis forma mutata est in *wumman*, ex quo sine dubio Wallisii error ortus est. Primitivus vero sensus nominis *wif* incertus habetur, quamvis id nonnulli censeant cognatum esse latino vocabulo « uxor », et eodem sensu significavisse « eam quae abducta sit [2] ».

Brethren grammaticus noster sine dubio fingit a *brother* formatum fuisse, addito signo pluralis numeri *en*. Sic enim Jonsonius originem ejus explicat. At revera non illa terminatione pluralis nominis *brethren* primitus formabatur; duplicem vero additionem signi pluralis invenimus in *brethren* simul et in

1. Alia exempla dantur a J. Earle nominum in singulari forma a primitivis vocabulis quibus *s* inerat formatorum, abscissa illa consona et signum pluralis numeri habita : *cherry*, gallice « cerise » a latino « cerasus », *sherry* quod apud Shakespeare scriptum *sherris* invenimus; *shay* a gallico « chaise »; *marquee* a nostro « marquees », « marquise »; *asset* ab *assets* quod, pro pristino gallico « assetz », stabat (*Philology of the English Tongue*, in pagina 368).

2. Vide Morris, *op. cit.*, in pagina 83.

brothers, si seriem formarum, ut a MORRIS datur, persequimur : vetustissima enim pluralis forma fuit *brothru* (*brothra*); tertio decimo saeculo illa facta est *brothr-e*, *brothr-e-n* (*brotheren*), *brethr-e*, *brethren*, *brother-es* (*brothers*) [1].

Item in *children* duplicem inesse formam pluralis numeri Wallisius, ut videtur, non suspicatus est, *en* addito quum, duodecimo et tertio decimo saeculo, obliti erant *er* aut *r* jam in hoc vocabulo signum pluralis esse [2].

Sowin, in quo Wallisius exemplum videt pluralis per *yn* formati, nunquam in numero anglicanorum vocabulorum fuit. At *swin* primitus erat neutri generis, nec ullam propriam habebat in plurali numero formam, dum *sow*, femineum verbum, significabat « sus ».

Cowin, tanquam vetus pluralis forma nominis *cow*, omnino fingitur a Wallisio, non secus ac *sowin*. Anglo-Saxonum *cù* « vacca » pluraliter erat *cy*, quod intima mutatione vocalis in antiqua anglicana lingua factum est *ky*. *N* consona posterius addita est ad pluralem sensum exprimendum quum pristinum vocabuli valorem obliti erant, et posterius etiam *kyn* factum est *kyne*.

Mice, *lice*, vel, ut hic quoque scribuntur, *meece*, *leece*, exempla sunt plurialium formatorum mutatione vocalis. In vetere anglicana lingua *mûs*, *lûs* fiebant in plurali numero *mys*, *lys* quae ad imitandam Gallorum scribendi rationem facta sunt *meece*, *leece*. — Eodem modo *feet*, *teeth* and *geese*, plurales formae sunt nominum quae in singulari numero sunt *foot*, *tooth* and *goose*. Cunctis quidem primitus vocalis *i* in fine signum

1. *Historical Outlines of English accidence*, in pagina 96.

2. Jonsonius putat *r* insertum fuisse jucundioris soni causa, et regularem formam esse *childen*. (Vide, cap. IV, Of the second declension.)

pluralis numeri fuit; at, illa jamdudum abscissa, sola vocalis mutatione discrimen numerorum fiebat, sic :

Fôt pes, *fêt* pedes. *Tôth* dens, *têth* dentes. *Gos* anser, *gês* anseres.

Sheep et *deer* in eodem ordine numeranda sunt in quo *swine*, neutrorum nempe nominum quibus nulla erat propria pluralis forma [1].

Hose a grammatico nostro tanquam exemplum adducitur vocabuli cui una tantum sit forma singularis et pluralis numeri. At ita non semper fuit, et *hose* pluraliter fiebat *hosen*; illa vero forma sensim desueta est, quamvis etiam nunc dierum non omnino obsoleta esse videatur.

Quid occurrerit in formatione nominum quibus *f* aut *fe* est in fine Wallisius non recte novit. Non enim *f* a modernis in *v* mutatum est ad allevandum sonum prae *s* aut *es*. Antiquae enim anglicanae linguae [2] plurales formae erant *leaues*, *theues*, *liues* (*leaves*, *thieves*, *lives*). Nec ad omnia nomina sic terminata haec regula pertinet, nam illis tantum quae puram anglicanam originem habent convenit (exceptis quidem *roof*, *hoof; reef*, *strife*) [3], in ceteris autem, originem e gallica lingua ducentibus, *f* praeservatur, ut in *chief*, *chiefs; grief*, *griefs*, etc.

Notandum denique nobis est exemplum vocabuli *pathes*, cui tunc *es* pro *s* addebatur; illam vero allevationem soni nunc dierum lingua non retinuit, ne forsan addito *e* sonus vocalis *a* mutaretur.

1. Multa alia ejusdem ordinis verba olim erant : *leaf*, *thing*, *wife*, *word* quea plurali numero singularem formam servabant (Earle, *loc. cit.*, in pagina 368 et seq.).

2. Non tamen anglo-saxonicae in qua *f* pluraliter servabatur.

3. Quod hic dicitur de *f* aut *fe* non convenit terminationibus *ff* aut *rf*, quibus *s* sine ulla mutatione plerumque additur.

De articulis. — Non multa de articulis dicit grammaticus noster, pauca vero illa justissima et acute expressa. « *A* », ut verba ejus referamus, « notat vocis generalis particulari cuidam appellationem. *The* notat particularium unius pluriumve determinationem. Neuter horum praefigitur vel voci generali generaliter significanti, vel nomini proprio, vel etiam ubi aliud aliquod adjectivum hos articulos virtualiter continet (exceptis tamen fluviorum et montium nominibus quibus *the* aliquando praefigitur). » — Ad originem et primitivum sensum articulorum respectans, *a* et *the* notat Wallisius idem significare quod *one* et *that*, sed minus emphatice.

Aliquid forsan amplius nos a Wallisio hic exspectare liceret. Quum enim de diversitate antiquarum et recentiorum linguarum juste et emphatice animadvertisset, id quidem notatione dignum erat, tem in nulla re illa, diversitam majorem videri quam in usu indefiniti articuli. Qui, antiquis omnino ignotus, cunctis in modernis linguis in usu est.

Peculiares phrases postea referuntur : *many a man*, *never a man* quae differunt a *many men*, *no men* ut *every man* differt ab *all men*. Priores enim significant « multos homines », « nullos homines » sigillatim vel distributive acceptos, posteriores conjunctim vel collective acceptos [1].

De praepositionibus. — De praepositionibus in capitulo quarto tractatur. Ex quo discimus jam morem partim praevaluisse, qui nunc omnino viget, omittendi praepositiones *to* vel *unto* post vocabula quibus semper olim addebantur : *like me* (aut *mee*, ut noster pronomen scribebat), *give mee*, *near*

1. Illae phrases non ante tertium decimum saeculum apparuisse videntur; antiquissimaque exempla data ab Earle (*The Philology of the English Tongue*) a Layamonis (Layamon) poemate excerpta sunt.

mee, etc. — *Till* et *until* (aut, ut ipse scribit, *untill*) a Scotis dici pro *to* and *unto* Wallisius notat, quamvis apud Anglos tantum de tempore dicantur. Hac in re Anglos videmus utiliter diversos sensus diversis vocabulis attribuisse, at Scotos nullo modo pristinum sensum praepositionis oblitos esse vel mutavisse. Etenim *till* (aut, ut primitus scribebatur, *til*) in Septentrionali dialecto apparuit, undecimo saeculo, longe alio sensu ac moderna praepositio *to* [1].

At originem dicit Wallisius fuisse hujus syllabae *a* quæ, in multis compositis adverbiis formandis, vocabulo praefigitur. In hoc vero manifeste errat, nam in omnibus exemplis ab eo adductis *a* videmus stare, non pro *at* sed pro *on* : *abed*, *abroad*, *above*, *alow*, *afore*, *abaft*, *again*. *Above*, exempli gratia, formatum sic putat : *ab-ove* (id est *at* et *over*). *Ove* in *above* sane idem est ac *over*, sed quia ambo ab eadem origine deducuntur, non quod *ove* pro *over* stet, nec *ab* ullo modo locum tenet praepositionis *at*. Pristinae enim formae erant *aboven*, *abufen* quae referendae sunt Anglo-saxonico *ábúfan*, quae contractio erat pro *an-be-ufan*, id est *on-by-upward* [2]. Item in *again* « quasi in lucro » grammaticus noster invenit *at* et *gain*. At antiquior forma erat *ayein*, pro anglo-saxonum *ongegn* aut *ongeán*, quod radicem habet, non *gain*, sed potius, ut Skeat suggessit, *gán*, id est *to go*. Idem dici potest de *against* quod Wallisius intelligit significare « quasi in victoria » quod vero eamdem quam *again* originem habet. *At* quidem invenitur in quibusdam compositis verbis, ut in *ado* pro *at do*, et in recentioribus *at length*, *at last*, *at least*, sed *a* vocabulo praefixum raro stat pro *at*. In plurimis verbis, ut in

1. Cf. Morris (*Historical Outlines of English Accidence*), in pagina 205.
2. Cf. Skeat, *An etymological dictionary of the English Language*.

exemplis supra scriptis et in multis aliis ubi nonnunquam grammatici articulum *a* subesse censent, ut *a year*, *a day*, etc., *a* mutationem praepositionis *on* ostendit; in quibusdam aliis mutationem praepositionis *of* (ut in *adown*, *afeared*), et in vocabulis gallicae originis *a* praefixum ostendit gallicum *a* aut *en* (ut in *around*).

De nominum substantivorum possessivo casu. — Quae nobis notanda sunt in capitulo quinto illa in alio potius reperienda esse putaremus. Illa enim ad substantivos pertinent in capitulo de adjectivis tractante. Quem nempe nos possessionis casum in substantivis appellamus, Wallisius adjectivum possessivum esse tenet. Id, ut dicit, fit a substantivo, addito *s* vel *es*, et exempla adducit : *Mans nature*, *mens nature*, *Virgils poems*, *the king of England's court.* Nihil autem dicit ex quo intelligamus quare *es* (hic in *'s* mutatum) addatur soli substantivo *England* inter omnia hic scripta.

Usum anglicanae linguae tunc fuisse dissimilem nostro in altera re videmus : « Si substantivum plurale exeat... in *s*, « duo *s*, in unum coincidunt : *the Lord's house*, *the Common's* « *house*, pro *the Lords's House*, *the Commons's house.* Quod « enim fieri non raro solet in numero singulari, quoties « nomen proprium exit in *s* : ut *Priamus daughter*, *Venus* « *temple*, pro *Priamus's daughter*, *Venus's temple.* Sed et « plana scriptio retinetur (et nunc dierum frequentius quam « olim), ut *King Charles's Court*, *Saint-James's Park.* » — Nunc autem hac scribendi ratione non solum frequentius sed semper et unice Angli utuntur; nec unquam apostrophum omittere licet, et, quum duo *s* in unum coincidunt, est apostrophus addendus, nunquam vero praefigendus unico *s*.

Illos omnino errare Wallisius recte pronunciat qui arbi-

trentur illud *s* loco vocis *his* adjunctum esse; nam, ut ipse ait, adjungitur et feminarum nominibus et substantivis pluralibus, atque etiam in possessivis *ours*, *yours*, *hers* « ubi vocem *his* innui nemo somniaret ».

Respectiva adjectiva appellat auctor noster voces substantivas adjective positas, atque etiam composita vocabula quae non sola unquam occurrunt sed semper substantivis adjecta. Ex exemplis hic datis illam mutationem substantivi in adjectivum frequentius tunc temporis fuisse quam nunc videtur; nam a *Turky-voyage* pro *a voyage to Turkey* non jam dicere licet.

In fine capituli notat auctor noster flexibilem et, ut ita dicam, ductilem naturam vocum in lingua anglicana, nam ut nomina substantiva adjective posita adjectiva fiunt, sic adjectiva substantive posita pro substantivis habentur, et, adverbialiter posita, adverbiascunt. At non juste nunc dierum diceretur posse semper adjectiva substantive poni et haberi pro substantivis.

De comparationis gradibus. — Qui gradus comparationis sint in lingua anglicana inspicitur in capitulo sexto. Praecipua quaestio in hac parte grammmaticae ea multis esse videbitur, quomodo adjectiva dividantur, alia comparationem formantia per terminationem *er* adjunctam, alia per adverbium *more* praepositum. Grammaticorum opiniones olim diversae erant. Nam alii putabant modum comparationis formandae determinari numero syllabarum, alii contrà naturam terminationis tantummodo considerabant, et adverbia *more*, *most* adhibenda existimabant post adjectiva finita per *ing*, *ist*, *ed*, *en*, *ain*, *al*, *ent*, *ive*, *ous* [1]. At Wallisius nunquam adverbia

1. Optimi scriptores huic legi nullo modo obedierunt : « Ascham writes *inventivest;* Bacon, *honourablest*, and *ancienter;* Fuller, *eminentest*, *elo-*

adhibenda esse ad formandos comparationis casus opinatus esse videtur. Unam enim regulam dat quasi omnibus adjectivis convenientem, atque adverbia *more*, *most* tantum scribit ut exempla comparationum anomalarum [1].

De aliis anomalis in comparatione adjectivis haec, inter cetera, Wallisius dicit : *worser* alteram normalem formam simul cum *worse* esse, eodem modo ac etiam nunc *less* et quoque *lesser* dicimus (mutato tamen sensu secundae formae). Superlativum gradum adjectivi *little* scribit *lest*, atque haec addit : « Multi scribunt *least* (ut distinguatur a conjunctione « *lest*). Mallem ego adjectivum *lest*, conjunctionem *least* scri- « bere »

De pronominibus. — Titulus hujus est de pronominibus, seu nominibus personalibus. Pronominum statum duplicem esse dicit grammaticus noster, unumque « rectum », alterum « obliquum » appellat. Quare vero non potius triplicem esse dixerit aegrè intelligo. Has formas pronominum quas possessivas appellamus, tanquam adjectiva possessiva designat, quum rectius et simplicius esset illas pro possessivo casu pronominum haberi. — Pronomina *we*, *he*, etc., a Wallisio potius scripta erant *wee*, *hee*, etc.; itaque formam *him* stare censet pro *heem*. *Them* scribi pro *theim* putat, scilicet sane ut formam facilius deducatur a subjecto *they*.

Whose item stare censet pro *who's* (quamvis in antiquiore

quenter, *learnedst*, *solemnest*, *famousest*, *virtuousest;* Sidney even uses *repiningest;* Coleridge, *safeliest*. » (Marsh, ut citatus a Morris.)

1. Nec omnino justa quæ de eis dicit. Nam *more*, *most* explicat ut si *more* staret pro *mo'r*, *most* pro *mo'st*, a primitiva voce *moe* quae olim idem significasset quod nunc *much* et *many*. At *moe* potius a *more* formatum fuisse videtur quam vice versa *more* a *moe*. *More* idem est ac *mahre*, a radice *mag* or *mah*.

lingua in nulla diversarum formarum quae viguerunt apostrophus occurrat : *hwas*, *whos*, *hos*, *was*, *wos* [1]). Illa forma, quae primitus singularis omnino fuit, jam Wallisii tempore pluraliter utebantur. De rebus vero rarius usurpabatur, sed potius *whereof* tum dicebant. — *My* et *mine* eumdem sensum et valorem nonnumquam habebant, scilicet ubi substantivum exprimebatur; tum enim *mine* pro *my* dicere licebat.

Nonnulli etiam, in imitatione verisimiliter formae *mine*, dicebant *hern*, *ourn*, *yourn*, *hisn* pro *hers*, *ours*, *yours*, *his*, sed barbare.

You and *ye*, quamvis diversos casus pronominis quondam expresserint, promiscue scribebantur ab auctoribus sexti decimi et septimi decimi saeculi [2], nunc in subjecti, nunc in objecti casu. Idem saepius factum est a recentioribus scriptoribus, quorum multi tamen forma *ye* utebantur libentius aliquem alloquentes. At Wallisius plane contra *you* tum dicendum esse docet.

Reflectivi pronominis formas *himself*, *itself*, *themselves* vulgo dici putat grammaticus pro *his-self*, *its-self*, *their-selves*. In quo, sine dubio, errat nimio studio omnia reducendi ad paucas universales normas. Namque *himself*, *themselves* anteriorem formationem praebent reflectivi pronominis, quum dativus casus usurpabatur prae nomine *self*, et *me silf*, *the silf*, *us silf* dicebantur non secus ac *himsilf*. At quum posterius (nempe duodecimo saeculo) genitivus pro dativo casus personalis pronominis praevaluit, in tertia persona tantum *himself*, *themselves*, antiquae formae, servatae sunt. — *Itself* vero dictum erat diu priusquam *its* anglicum vocabulum

1. Vide Morris, in pagina 128.
2. Abbott, *Shakespearian Grammar*, art. 236.

esset, quod tantum in principio septimi decimi saeculi linguae additum est.

De Verbis. — Verba in capitulis VIII et sequentibus inspiciuntur. De quibus multa dicuntur contra quae nihil dicendum est.

Dum Jonsonius nisus erat ut verba in plures diversas conjugationes distribueret, Wallisius unam tantum agnoscit, et quae in eam non cadunt verba anomala esse existimat.

Diversos sensus terminationis *ing* clare distinguit, nec fuisset quidquam ejus verbis addendum a recentioribus grammaticis, si historiam linguae prosecutus esset ita ut confusionem trium formarum in unam ostendisset. « Participium activum themati « adjungit *ing* ut *burn-ing* (urens). Eademque vox substantive « posita est nomen verbale, atque etiam Gerundiorum vices « supplet ut *in burning this* (in urendo hoc), *in burning of* « *this* (in ustione hujus). »

Quod ad distinctionem personarum pertinet, *eth* aut ipsius loco *'s* aut *es* scribere tunc licebat. « Dicimus *wilt*, *shalt* per syncopen pro *will'st*, *shall'st*. » Hic iterum grammaticus in errorem ducitur nimia cupiditate omnia reducendi ad simplices leges. Nullo enim tempore *s* occurrit in terminatione secundae personae singularis horum verborum, quae fuerunt *scealt*, *scalt*, *schalt* (et in gothica lingua *skalt*); *wilt*, *wult*, *wolt* [1]. — Haud dissimili errore *didst* censet dici pro *diddest*, ut si normam regularium verborum auxiliare *do* sequeretur; at duplicem consonam nunquam invenimus in illius verbi praeterito cujus forma in anglo-saxonum lingua erat *dyde* [2]. — Nec magis est *known* pro *knowen* scriptum, nam *n*, non *en*,

1. Morris, in paginis 185 et 187.
2. Vide Skeat, *Etymological dictionary*, in art. « Do ».

propria terminatio est passivi participii in numeroso ordine verborum[1].

In nono capitulo (De Verbis auxiliaribus mutilis) iterum de historia et formatione verbi *to do* Wallisius errat, qui *did* explicat per *doed*, cum contra illa terminatio *ed*, quae praeteritum regularium verborum format, ipsa explicetur per vocabulum *did*. *Did* autem a *do* formatum est duplicatione thematis (ut in latina aut Graeca lingua multa exempla occurrunt : didici, poposci, tetigi, etc. — τέτυφα, πεποίηκα, τετέλεκα, etc.).

De usu auxiliarium *shall* et *will* quae non multos annos ante ejus tempus promiscue ab auctoribus saepius scribebantur, normam Wallisius exponit quae maxime clara et vera nunc etiam viget in simplicioribus et facilioribus casibus, quae autem vix adjumento esset, quum maxime adjumentum desideraretur :

« Quoniam extraneis satis est cognitu difficile quando *shall*
« vel *will* dicendum est, neque tamen alii quos vidi ullas tradi-
« dere regulas quibus dirigantur[2], has ego tradere necessarium
« duxi : In primis personis *shall* simpliciter praedicentis est,
« *will* quasi permittentis aut minantis. In secundis et tertiis
« personis *shall* promittentis est aut minantis, *will* simpliciter
« praedicentis. »

Omnes certe libenter agnoscent quam clare et directe, aptum se grammaticum ostendens, regulam de usu auxiliarium *may* et *can* tradiderit Wallisius :

1. Quorum tota series legenda est in Earle, *The Philology of the English Language*, in art. 267.

2. Etenim Jonsonius nihil de hac distinctione habet, atque ambas formas notat ut si indiscriminatim una vel altera uteretur : « The *futures* are declared by the *infinite* and the verb *shall* or *will*; as *amabo*, I *shall* or *will* love... In *amabor* it is governed of *shall* or *will*; as : I *shall*, or *will* be loved. » (Second Book, chap. VIII).

« *May* et *can* — *might* et *could* potentiam innuunt : *may*, « *might* vel de jure vel saltem de rei possibilitate dicuntur; at « *can* et *could* de viris agentis. »

In capitulo decimo, De Verbis auxiliaribus integris, vix ulla sunt quae nos retineant. Quum substantivi verbi duplicem conjugationem in Praesente et Praeterito exposuit: *Am*, *art*, *is* aut *Bee*, *beest*, *bee*, et pluraliter *are* aut *bee*; *was*, *wast*, *was* aut *were*, *wert*, *were*, et pluraliter *were*, dicit priorem formam illic plerumque adhiberi ubi Latini modum Indicativum ponerent, alibi fere semper secundam. Ab eo grammatici nostrae aetatis certe dissentirent, et in multis sententiis, in quibus Latini subjunctivum ponerent, eumdem modum anglice ponere non liceret; nullum enim verbum nunc temporis potentiam, ut ita dicam, inhaerentem servavi hunc aut illum modum regendi, et ex sola dicentis voluntate et sententia usus subjunctivi modi pendet.

De Syntaxe Verborum. — Proximum capitulum disquisitionem offert De Sede Vocis nominativae et accusativae, aliisque ad verborum syntaxin spectantibus. Vocem nominativam hic legimus suo verbo postpositam fuisse multo saepius quam nunc liceret. Interrogando enim et imperando, pronomen auxiliari verbo, si quod adesset, vel, si non esset auxiliare, ipsi verbo absoluto postponebatur. Dicebant igitur *Burn I*? aeque ac *Do I burn*? quum nostri temporis usu raro pronomen subjici possit post aliud quam auxiliare verbum. Item imperative dicebant *Burn I*, *burn thou*, *burn he*, etc.; nos autem verbum sine pronomine usurpamus in secunda persona, in prima autem et tertia auxiliare verbum addimus et pronomen objectivum, non subjectivum, habemus.

De positione accusativae vocis haec scripsit : « Vox accusa-

« tiva plerumque postponitur : *hee burneth mee.* At olim « solebat saepe praeponi : *hee mee burneth, mee hee burneth.* » In quo si praesentem usum comparamus, novo hoc testimonio videmus quam propensa lingua anglicana sit ad simpliciorem et maxime directam expressionem sensus. Item in ordine vocabulorum quum negativus sensus annuitur, multo majorem libertatem tunc datam esse videmus quam nunc temporis. Namque adverbium negandi *not* non semper auxiliari aut principali verbo adjungendum erat, sed etiam aliis orationis partibus. Exempla haec dat grammaticus : *It burned not, it did not burn, it burned mee not, it burned not mee, mee it burned not, not mee it burned.* Ad monstrandum quam distincte clareque lingua anglicana varietates sensus exprimat quas latina uno tantum vocabulo annuit, Wallisius comparat « moriturus » cum diversis illius translationibus : « *to dy* vel *about to dy, ready to dy, like to dy, condemned to dy.* »

De Verbis anomalis. — Quae antea dicta erant ad verba tantum quae nos regularia appellamus spectabant. In postremo capitulo verbis dedicato, verba quae nunc irregularia appellantur inspicit auctor. Sed illa tantummodo anomala verba esse existimat eorumque multa ad normam ceterorum facile redigenda putat, cum anomaliae origo ducatur a breviore pronunciatione regularis formae. Quae vero anomaliae neque syllabarum coitu, neque additione terminationis *en* in Participio Passivo formentur, illas non adeo multas esse putat ut possint sigillatim recenseri.

Nemo certe grammaticum reprehendet quod illa de re erraverit, quum vera irregularium, aut, ut Germani primi dixerunt, fortium verborum natura et origo tam recens notae sint. At plura de istis verbis acute notat.

« Tota illa quantacunque anomalia verba exotica vix « omnino attingit, sed illa sola quae nativa sunt.... Nativa vero « illa voco quae ab antiqua lingua Teutonica, seu Saxonica, « originem ducunt, quae quidem omnia sunt monosyllaba (aut « saltem a monosyllabis deducta), et plerumque nobis cum « Germanis, Belgis, Danis, etc., communia sunt (levi saltem « immutatione facta).... »

« Anomalia prima, quae maxime generalis est, ex celeritate « pronunciandi originem duxit : nempe (post syncopen « vocalis *e* in regulari terminatione *ed*), relicta consona *d* « saepissime mutatur in *t*; quoties scilicet pronunciatio sic « evadit expeditior (et quidem contractio potius dicenda « videtur quam anomalia). »

« Anomalia secunda etiam frequens est, sed solummodo « participium passivum spectat : Nempe participium passi- « vum olim saepissime formabatur in *en* : Cujusmodi satis « multa adhuc retinemus, praesertim ubi praeteritum imper- « fectum insignem aliquam anomaliam patitur atque haec « quidem altera participii formatio, potius quam anomalia, « non incommode dici potest). »

Ita justa haec animadversio est ut grammatici permulti illa participia per *en* formata adjectiva vere esse aestiment, et eodem modo formari *Know(e)n* a *know* ac *wooden* a *wood*.

Ex Wallisii verbis et ex exemplis ab eo datis discimus scripta fuisse verba tunc saepius quam apud nos secundum eorum pronunciationem; ita *plac't*, *snatch't*, *fish't*, *wak't*, nos ille docet scripta fuisse simul cum *dwelt*, *smelt*, *burnt* pro *placed*, *snatched*, *fished*, *waked*, cum in iisdem scribendi ratio nostra a pronunciatione discedat.

Vocalem longam praecedentem non raro abbreviari scriptor

noster exacte observat, et justissime has formas *kept*, *slept*, *lept* pro *keeped*, *sleeped*, *leaped* stare censet [1]. Item formas *read*, *led*, *spread* (quod *spred* scribebat) *dread*, *shred*, *tread*, *bid*, *strid*, *slid*, *rid*, etc., a verbis *to read*, *to lead*, *to spread*, *to dread*, *to shread* (ut Wallisius scribit) *to tread*, *to bid*, *to stride*, *to slide*, *to ride* non sane irregulares esse opinatur, sed tantummodo contractionem passas esse, atque *read*, *led*, etc., seu potius, ut illa scribenda esse censeret, *readd*, *ledd* sunt quasi *read'd*, *led'd*, etc.

De natura et origine terminationis illius *ed* quae sive tota additur verbo, sive, per syncopen vocalis, in una consona consistit, sive etiam, ut in exemplis nuper scriptis, cum *d* vel *t* radicali in unam litteram coalescit, nihil Wallisius dicit. Nullam igitur differentiam notat inter duas illas verbi formas, praeteritum nempe et participium passivum, quae ut plurimum, sed non semper, similes factae sunt. At duplex est casus, prout seu praeteriti temporis seu participii passivi originem consideramus. Namque *ed* in priore forma constat ex vocali conjungente *e* et *d* pro *did*; eademque terminatio in participio constat ex vocali conjungente et proprio participii passivi exitu qui olim erat *de*, eadem origine ac Gothicus exitus *da*(*s*), latinus *tu*(*s*), graecus *το*(*ς*).

Quum participium passivum notavit grammaticus noster olim saepissime formatum fuisse in *en*, ut *been*, *taken*, *slay'n*, *know'n*, multas sic formas ex ordine irregularium verborum in normalium ordinem redegit. At quum ad illa verba venit quae nullo modo ita explicari possunt, et verum ordinem irre-

1. Formas has *keeped*, *sleeped*, *leaped* Wallisius notat tunc etiam dictas fuisse sed rarius quam illae quae solae postea obtinuerunt : *kept*, *slept*, *leapt*.

gularium seu « fortium » verborum constituunt, illa ut meras anomalias enumerat. Non autem novit legem quae formationi illarum formarum praefuit, nec illas intellexit ortas esse ex duplicatione radicis quae postea contractione facta est illa, quam nunc habemus, forma irregularium praeteritorum.

Ex ejus verbis id saltem discimus plura verba tunc regulares formas assumpsisse quae nunc temporis omnino irregularia sunt; atque hoc notatione dignum est quum linguae nutum scimus tendere potius ad irregulares formas removendas. Ita tunc dicere aut scribere licebat : *Keeped*, *weeped*, etc. [1]; — *sow'd* (nunc *sown*), *laded* (nunc *laden*); — *spinned*, *swimmed*, *winned*, *beginned* [2], etc. ; — *teached*, *catched* [3]; — *beared*, *thrived*, *choosed* [4]; — *draw'd*.

Nihil est in tertio decimo capitulo « De adverbiis, conjunctionibus, praepositionibus et interjectionibus » quod nos detineat; nisi notemus quam originem Wallisius proposuerit adverbii *always* (quod scribebat *allwayes*) : « Quasi omnibus « vicibus, a Cambrica voce *gwaith* « vices » ; nisi forte Ita« lorum hic imitemur *tutte via*, aut saltem Germanorum « *all-weg*. »

1. Sed, ut supra dictum est, rariores hae formae erant.

2. Has formas analogas Wallisius dicit retineri simul cum anomalis *sow'n*, *laden* aut *loaden*; *span*, *wonne* et *wan*, *begun*, etc.

3. *Taught* et *caught* tunc obtinebant simul cum analogis formis. At dum irregulares tantum formae nunc praevalent, similis verbi *to reach* irregularis forma *raught* omnino obsolevit. — *Caught* Morris dicit recentis originis esse ad imitandam formam *taught*; Layamon pro formis hujus verbi habet : *cacche, cahte, caht.* (*Historical Outlines,* in pagina 171.)

4. Attamen verbi *choose* non secus ac verbi *bear* pristina forma praeteriti imperfecti sane anomala seu firma erat, id est constituta mutatione vocalis in radice. (Vide Earle, in art. 267.)

CAPUT IV

DE ETYMOLOGIA

Cum capitulo quintodecimo « De Etymologia » nova pars grammaticae initur. Illam in duas sectiones auctor dividit, priore ad verba analogice formata, altera ad derivata remotiora spectante.

De Vocabulis analogice formatis. — Illa vocabula comprehendit quae per normales et facile intellectas derivationes a stirpe formantur. *R*, *re* in exitu vocum primum inspicitur. « Ex quolibet nomine substantivo, sive singulari, sive plurali, « formatur adjectivum possessivum addendo *s*. Est tamen alia « antiquior formatio. Nam *r* seu *re* subjungebant. Quod et « etiamnunc faciunt Belgae derivantes *Amsterdam* a rivo « *Amstel*. *Amstelredam* hic est *Amsteli agger* seu *Amsteli-* « *vallum*. Sic ab *you* dicimus *youre*, *your*; a *they*, *theyre*, « *theire*, *their*; a *shee*, quod Saxones scribebant *seo* et *heo*, « formatur *heore*, *here*, *her*. Item ab Anglo-Saxonico *wi* (*we*) « formabant illi *wre* (quasi *wire*) unde nostrum *owre* (ut olim « scribebant). » — Ut ut res sit de origine nominis *Amsterdam*, vere et acute naturam terminationis *r* Wallisius intellexit in

pronominibus *your*, *our*, *their*, *her*. Nam si temere formationem possessivi casus per *r*, *re* antiquiorem fuisse declarat quam alteram terminationem *s*, Anglo Saxonicus sermo certe *r* habebat in fine pronominum pro dualis et pluralis genitivo :

Dualiter, Nom. *wit* (*we*); Gen. *uncer*, et

Pluraliter, *we*, (*user*) *ûre*.

Dualiter, Nom. *git* (*you*); Gen. *incer*; et

Pluraliter, *ge*, *éower*.

Pluraliter, *Hie* (*they*), *hiera* [1].

Her est etiam forma singularis genitivi feminei pronominis cujus declinatio sic legitur in « Skeat's Dictionary » : A. S. *hé*; gen. *his*, dat. *him*, acc. *hine*. Fem. sing., nom. *heo*, gen., dat. *hire*, acc. *hi*, etc.

At quum eadem vestigia pristinae linguae credit conspici multis in substantivis quorum longam seriem enumerat : *husband-ry*, *huswife-ry*, *midwife-ry*, *chirurge-ry* (seu contracte *surgery*), .. *treasurery*,... *almery* (quod contractim dicebant *ambry*), *lecherry*, *adulterry*, etc., etc., manifesto errat. Ea enim terminatio plane gallica est, et, si forte vocabulis quibusdam germanicae originis apponitur, id certe factum est ad imitandas voces seu vere gallicas seu a gallicis mutuo sumptas.

Observationem prius jam expressam hic iterat grammaticus; scilicet substantiva non pauca verbaliter posita degenerare in verba. Sed nunc de illis notat vocalem saepius produci, accedente consonantis allevatione ut videtur in *a house*, *to house*; *brass*, *to braze*; *glasse*, *to glaze*; *grasse*, *to graze*; *price*, *to prize*, *to praise*; etc.

1. Vide Earle, *Outlines*, etc., in art. 466, 467 et 468.

Nonnunquam tamen adjectiva in verba mutantur adjuncto exitu *en*, quae propria verbi ab adjectivo derivati formatio est. Exempla, inter alia, haec adducit auctor : *great*, *to greaten*; *light*, *to inlighten*. — Ex substantivis fiunt adjectiva copiam significantia addita terminatione *y* : *a lowse*, *lowsy* (pediculis scatens); *wood*, *wooddy*, etc.; alia addita terminatione *full*, aut, sed cum quadam diminutione, additur *some* : *lightsome*, lucidus, *bigsome*, etc.; contra vero terminatione *less* inopia significatur : *saplesse*, *shrivelesse* (minime sollicitus).

De particulis privativis *un* vel *in*, juste notat Wallisius *in* potius vocibus a latinis deductis praefigi [1]. — « Multa a « Gallis habemus quae per *in* vel *en* promiscue scribuntur : « *ingender*, *implant*, *ingrave* (insculpo) vel *engender*, *emplant*, « *engrave*.... Optandum esset (in exterorum gratiam) ut « hujusmodi vocabula a Gallis accepta Gallorum *en* perpetuo « retinerent, potius quam ut restitueretur *in*. » Illa in re recentior lingua omnino fere effecit quod erat in grammatici votis. — Acute de praefixis syllabis *dis* et *mis* ita animadvertit : « *Dis* et *mis* idem fere significant quod *un*. *Dis* tamen « potius contrarietatem innuit quam privationem; *mis* quasi « errorem quemdam insinuat (*to miss*, errare [2]). » Falso autem existimat Gallos ab Anglis suum *mes* mutuatos esse, potius quam Anglos a Gallis suum *mis*. Neutra enim particula ab altera originem ducit, pristinaque Gallica lingua *mes* habebat

1. Latham inter alios strenue repugnat vocabulis constitutis una gallica, altera germanica parte (Vide *Hand-Book of the English Language*, art. 289).

2. Falsa tamen etymologia, si Wallisius particulam privativam a verbo deducit. Ambo enim originem ducunt a vetere anglo-saxonico substantivo *misse* innuente errorem aut offensionem, quod referri potest Gothico *missô* = invicem. (Vide Skeat's *Dictionary* et Latham in art. 267.)

(*mes-chef*, *mes-chaunce*), ut vetus anglica teutonicam particulam *mis* habebat (in *mis-behave*, *mis-call*, *mis-trust*, etc.). — Diminutionem in adjectivis *ish* innuit. Plura vero dicit auctor et magis notatione digna de substantivis diminutivis. Terminationes diminutionis enumerat : *ock*, ut *hillock*; *el* ut *part*, *parcel*; *cock*, *cockrel*; *pike*, *pickrel*; *sack*, *satchel*; — *et* (Gallica terminatio) ut in *poke*, saccus, *pocket* [1]; — *in* ut in *a chick*, *chickin* [2]; *a man*, *minikin*; *a pipe*, *pipkin* (quasi doliolum); *Halkin* (Henriculus) unde *Hawkins*. — « Alia est dimi-« nuendi formula ut *sup*, *sip*, *soop* (sorbeo, sorbillo, affatim « sorbeo); *sop*, *sippet* (offula, minuta panis particula jusculo « instincta); *top*, *tip*, *tippet* (apex, apiculus,... *pour*, *peer* « (alicubi locorum) decanto. *Long*, *to long*, *to linger*; *lame*, « *to limp*; *sweep*, *to swop*; *suck*, *to soke* (multum exsugo); « *little*, *lee-tle* (minutulum); *prity*, *bellus*, sed *pree-ty*, bel-« lulus; *tong* (campanae majoris bombus); sed *ting* (tinnitus « minoris.) »

Abstracta substantiva formantur additis terminationibus *nesse*, *head*, *hood*, *th*, *ship*, *dome*, *rick*, *wick*, *monger*, *ment*, aut *age*. Pauca tantum exempla inter illa quae hic enumerantur tradam quia mutationes quasdam linguae illustrant : *High*, *height* (seu potius *heighth*); *hail* (sanus), *health*; *dry*, *drowth*, *droughth*, *dry'th*; *mow* (meto), *mowth* (messis), *latermowth* (posterior messis); *hear*, *hear'th* (auditus); *spight*; *laith* (flamma); *Bailywick* (Ballivatus); *pell-monger* (pellio, qui pellibus detergendis occupatur); *whore-monger*, fornicator; *mass-monger*,

1. Illa gallica terminatio vocibus Gallicae originis tantum adhiberi deberet; et sic saepius fit, quamvis pauca vocabula sint anomale composita ut *streamlet*, rivulus.

2. Hunc Wallisii errorem jam argui. (Vide supra paginam 42).

missificator; *œuvrage* (vox Gallica), operatio. — Nonnulli forsan putabunt illa vocabula quae *monger* includunt composita potius quam derivata esse.

De derivatis remotioribus. — In Etymologiae sectione secunda, derivata remotiora Wallisius considerat. Illa operis pars vix ullius pretii est, nec mirandum id videbitur, si recordamur grammaticos hujus temporis omnino expertes fuisse principiorum et methodorum investigandi quae etymologiam recentius vere scientiam fecerunt. Hujus modi investigationes scriptor noster manifesto existimat esse similes illi quà secretum sensum cryptogrammatis acutissime divinaret. Methodus quidem in neutra investigatione erat sed « vaga venatio [1] ». Quamobrem, etsi ingeniose saepe vocabula a diversis linguis excerpta in unum sensum, aut saltem in sensus analogos, redigat, veram illorum conjunctionem non novit, erroresque multos congessit. Pauca tamen exempla tradam quae illius methodum (si methodus dici potest) ostendent. « *To beat*, *a bat*, *batoon* (baculum), *a battel* (pugna), *a beetle* « (malleus ligneus), *a battle-door*, *to batter*, *batter* (eduliorum « quorumdam materia ex farina, aqua et ovis frequente spa- « tulae percussione commistis), a Latinorum *batuo* forte « deducta [2]. »

... « Nasum *sn* insinuere videtur : *nasus*, Gallorum *nes̄*, « *nose*, *nostril*, *nesse* (promontorium) *Foul-ness*, *Denge-ness*;... « *snout*, *sneeze*, *snore*, *snort*, *sneer*, *snicker* (adunco naso ridere), « *a snaffle*, *snot*, *snivel* (mucus narium), *to snite* (nares emun-

1. Ipsius verba in epistola ad Leibnitium, Janua, 16, 169 $\frac{8}{9}$.

2. Si quidem singularis illa videtur origo vocabuli *batter*, non tamen omnino falsa est. Non certe a verbo *beat* originem ducit *batter*, sed ab obsoleto gallico *bature* in quo vere verbum *battre* invenitur.

« gere), *to snuff, snuffle, to snarle* [1], *to snug, to snudge* (naso « quasi in sinum represso jacere seu incedere)... quasi ex *naso* « desumptis consonis *n s*. — Est et aliud *sn* quod a Latinorum « *sinuo* deductum putemus : ut *snake, sneak, snail, snare*, « *snudge* (se tacite subducere), *to snap, snatch, to snib, to snub* « (quasi tacite increpare[2]).... »

Sed si nullum principium nec ulla norma grammaticum in hac parte operis ducit, rationem tamen et viam quamdam insequitur. Namque sonos censet esse per se indices rerum, et, praesertim in vocibus anglicanis, magnum litterarum reique consensum reperiri existimat. Sic voces ab *str* inchoatas fortiores vires et conatus, ut putat, innuunt. Hoc satis est ut vocabula multa in unum globum contrahat eamdem cunctis originem attribuens, quamvis exigua sit similitudo sensus, dummodo hae litterae *str* in eis ocurrant et significatio ad sensum conatus cujusdam referri possit. At si forte affinitates sic illustrantur quas multi praetermitterent, falsae quoque analogiae nonnumquam finguntur. *Strong, to strike, a streak, a stripe, strife, struggle,... to stretch, streight* (extentum rectum), *strict, streight* (arctum), *streight* (angustia), *to strain, stress, string, straggle, to stride, to straddle* ad communem originem referre licet. Sed manifesto errore in eamdem seriem inducuntur *to strow* (quod a *straw*, stramen, ortum est); — *to*

1. Dubium est an in *snarl* aut in *sneer*, quod prius datum erat, radix *nose* reperiri possit. Nam, si Skeatii Dictionario credimus, has voces videmus easdem esse quae occurrunt in Belgico *snarren* (to brawl, te scold) et in Germanico *scharren* (to growl, to snarl) quae sane a voce *nasus* dissimiles sunt.

2. Non necesse est errorem grammatici ostendamus; omnia haec vocabula a Germanica stirpe orta sunt (A. S. *snaka*), non certe a Latinorum *sinuo*. Sed ambo forte uni primitivo themati referri possunt, nempe sanskrito *naga*, « aliquid repens ».

strout, *to strut*, praetumescere (cujus pristina significatio erat : exstare aut proeminere rigide, idemque est quod Germani habent in *strotzen* et in *strauss*, crista foliorum); — *stream* (ab antiquissima radice *sru*, fluere, ῥέειν, quae in Teutonicis et in Borussica linguis facta sunt *stru*); — *strange* (« *estrange* » in antiquiore Gallica lingua) a latino « extraneum ».

« *St* vires minores innuit quasi esset ex *sto* desumptum...
« *Thr* violentiorem motum innuit... *Wr* obliquitatem quam-
« dam vel distortionem... *Br* fragorem seu rupturam violentam
« praesertimque sonoram... *Cr* ruptum quid, saltem incur-
« vatum seu luxatum innuit (quasi ex « crepo » aut « curvo »
« desumptum) [1]... *Shr* fortiorem contractionem innuunt. —
« *Gr* asperum quid, seu durum, onerosum atque omnino
« ingratum innuit.... — *Sw* quasi silentem agitationem... — nec
« multum differunt *sm* [2]... — *Cl* adherentiam quamdam.... —
« *Sp* dissipationem vel expansionem praecipue celerem (prae-
« sertim si accedit *r*).... — *Sl* quasi lapsum silentem.... — *Sq*,
« *sk*, *scr* violentam compressionem.... — Item terminatio *ash*...
« clarius quiddam et acutius indicat ;... at *ush*... obscurius
« quiddam et taciturnius innuit. — In *ing*... tinnitus termina-
« tionis et acuties vocalis innuunt tenuissimi quasi motus seu
« tremoris continuationem. At in *tink*, *wink*, *think*... terminus
« subitaneus auditur. — *Ingl*... frequens iteratio (*jingle*, *tin-*

1. Duo tantum, inter multa hic data, exempla referam : « *Crag*, *craig* (vox Scotis praesertim usitata) « collum, cervix » (ob incisuram qua caput a relicto corpore quasi disjunctum videtur). — *Cruise*, *crewet*, *crevet*, vasa stricto collo. » At *cruet* idem est ac gallicum *croiset*, *creuset* nec ullo modo a strictura colli nomen ducit.

2. Unum saltem exemplum non est omittendum : « *smart* acrem dolorem « significat : *a smart blow*, ictus acris, proprie significat ejusmodi plagam « quae motu primitus silenti (quod innuit *sm*) ad acutam asperitatem pro- « cedit (quod innuit *ar*) subitanee finitum (quod innuit *t*). »

5

« *gle*, *twinkle*)... Eadem, sed minus subtilium actuum in « *jangle*, *tangle*, *spangle*... — *Umbl* item in *mumble*, *grum-* « *ble*... sed simul obscurius quiddam... *Ambl* iterationem « tumultuariam (propter litteras *m b l*) sed propter clariorem « vocalem *a* magis alacrem minusque obscuram... *Imbl* acu- « tius adhuc aliquid. »

« In *squeak*, *squele*, *braul*, *wraul*, *yaul*, *spaul*, *screek*, *shreek*, « *shril*,... *huf*, *puf*, *hisse*,... *jarr*, etc., sonorum cum rebus « significatis convenientiam observare licet. Et hoc quidem « tam frequenter est ut vix ulla quam scio lingua hac in re « huic nostrae aequiparanda videatur... »

Postea qua ratione vocabula ex latinis fiant anglici inspicit, et qua mutatione gallica verba in anglicanum sermonem infusa sint. Nec quidem eum fallit verba non raro ab utrisque anglice formari, significatione plerumque aliquantum diversa, eorumque alterum ut plurimum a Latinis immediate deductum fuisse, alterum intervenientibus Gallis. Exempla tum adhibentur quorum tamen nonnulla falsa analogia e latino sermone deducuntur : *compound* et *compose*, *expound* et *expose*, *refer* et *relate*, *confer* et *collate*, *comprehend* et *comprise*, *defer* et *delate* (defero), *speed* et *expedite* [1], etc.

« Sunt alia aliquot verba gallica quae in nostram linguam « transtulimus... Nisi et horum aliquot dixeris Teutonicae ori- « ginis, ut *garden*, *garter* a *gird*; alia Latinae, ut *advance*, « ab *avant*, i. e. ab-ante. » In quo Wallisium videmus unum esse inter grammaticos qui gallicae linguae partem in formatione anglicae conati sint ad exiguum momentum reducere.

De teutonicis autem vocibus ita scribit : « Dubium est an

1. At *speed* teutonicam, non latinam originem ducit. A. S. *spéd*, « celeritas » aut « successus ».

« prisci olim Teutones a Latinis, an hi ab illis, aut denique « utrique ab eodem communi fonte (illas voces) acceperint « ...*wine*, vinum, οἶνος; *wind*, *ventus*; *wend*, *went*, venio; « *worth*, virtus; *wosp*, vespa; *way*, via; *wall*, vallum; *wallow*, « volvo;... linguam enim Teutonicam ipsa Latina antiquiorem « esse non est dubitandum; neque magis dubitandum est lin- « guam Latinam quae a Graeca et ab aliis vicinis linguis (puta « Osca aliisve) magnam verborum farraginem consarcinavit, « etiam a Teutonica non pauca accepisse ».

Multos errores hac sententia Wallisius redemisse existimo in qua similitudines teutonicarum et latinae linguae forsitan explicari declarat communi illarum origine. Sed hanc causam oblivisci videtur quum linguas a teutonica oriundas notat non pauca retinere, a Graecis deducta, quae latina lingua vix aut ne vix quidem noverit [1]. Nullo modo enim tunc ei occurrit verba quae teutonicis et graecae linguis communia sint a communi quoque stirpe deduci, et priora putat a Getis (seu Gothis) deflecta fuisse de graecis verbis [2].

Sed quotiescumque veteres Angli voces aliunde ductas in suum sermonem acceperunt, operam, ut Wallisius putat, dederunt ut eas in monosyllabas compingerent aut saltem in minorem syllabarum numerum contraherent. Ex permultis exemplis

1. Exempla inter alia haec adducit : πάτ, *path*, pfad — ἀξίνη, *ax*, achs, securis — μετα, mit, *to meet*, *mate* — πορθμὸς, *ford*, pford, vadum — ὀφρύς, *brow* — πόῤῥω, *far* — πῦρ, *fire* — θύρα, *door* — θυγατήρ, *daughter* — πλατύς, *flat* — μέθυ, *mead*, mulsum — μέγας, *mickle*, *muckle* — γελάω, *laugh* — γεγλασκα, *gigle* — ξηρός, *sear*, aridus — μηνη, *moon*, etc.

2. « Notatque Ovidius (l. V « de Trist. », eleg. VII) inter Getas observasse se voces Graecas ad Getarum formas deflexas... easque ad nos pervenisse non est quod miremur. Nescio an ab εἴδω, εἴσω dicatur *see*, *shew*, *shine* ut a « vidi », « visum », *wit*, *wise*, *wis*, *wisdome;* ab ὕλη, *wild*, a κύων, *hound* (unde *hunt*, *haunt*)... »

hic adductis pauca tantum referam, digniora forsan quae inspiciantur :

« Theriaca, *triacle*, *treacle* — dictamnum, *ditanny* — san-
« talum, *sanders* — *benzoin*, *benjamin* — parietaria, *pellitary*
« — viride æris, *verdigrese* [1] — gummi tragacanthum, *gum dra-*
« *gon* — rhabarbarum, *rubarb* — *pomum de ambra* (gallicè
« pomme d'ambre), *pomander* — cariophyllus flos (ital. « gero-
« filo », gallice « giroflée »), *gilofer*, *gilli-flower* (quod vulgus
« detorquet in *July-flower*) [2] — asparagus, *sperage* (quod vulgus
« detorquet in *sparagrass*, *sparrowgrass*) — *portulaca*, *purs-*
« *lain* — cydonium, *quince* [3] — cydoniatum, *quiddeny* —
« eruca, *eruke* (quod vulgus detorquet in *ear-wigs*) — hemi-
« cranium, *megrim* [4] — vinum acre, *vinegre*, *vineger* — annu-
« lus gemellus, *a gimmal ring* seu *gimbal ring* (unde etiam
« *gimbal* et *jumbal*) — altus gustus (gallice « hault goust, haut
« gout »), *hogo*... »

Notat postea grammaticus eamdem vocem, pro vario significatu, variam non raro originem sortiri. Justissima quidem observatio erat, sed illam exemplis illustrat auctor quæ nonnunquàm falsa sunt. Sic enim incipit : « *To bear* de onere « dictum (et *born*, *bier*, *burden*, *bring*) est a « fero » ; sed *to* « *bear* de liberis dictum (undè *birth*, *born*, *barn*, *bearn* filius) « est a « pario » ; et *bear* ursa, A-S. *bere*, *bera* (saltem si sit

1. Vera sane haec etymologia esse videtur, at anglicanum verbum manifesta imitatur nostrum « verd de gris » (Cotgrave), nec ille in anglica lingua ortus est syllabarum coitus.

2. Hic quoque vox anglica manifesto gallicam imitatur, neque directe a latino originem ducit.

3. At verisimiliter anglicum *quince* non a « cydonium » sed potius a vetere gallico « coignasse, coing », formatum fuit.

4. Recta certe origo, at non a latino, sed a gallica voce *migraine* (ut jam Cotgrave notat) anglica orta est.

« latinae originis) a « fera ». At nullum horum a latino deductum est, amboque verba *to bear* eamdem unicam originem habent : Anglo-Saxonum *beran*, quod quidem eidem radici referri potest cui latinum verbum « ferre ».

In ultima denique parte operis quae studio verborum addicta est, Wallisius notat vocabula esse non pauca, etiam monosyllaba, quae a duobus pluribusve sive composita, sive arctius conflata sint. Hic vero grammaticus gravissimos in errores ducitur opinionibus suis de litterarum valore et potestate quas reperire nititur etiam quum eas a corpore vocabuli abstraxit et separatim observat :

« Ex *scrip* et *roll* fit *scroll*, scripta rotula. Ex *proud* and « *dance*, *prance*, superbientis equi salientes incessus indi-« cans. Ex *st* (*stand*, *stay*) et *out*, *stout*, fortis, cedere nescius. « Ex eodem *stout* et *hardy*, *sturdy*. Ex *sp* (*spite*, *spew*) et *out*, « *spout*; cum terminatione *in*, *spin*, quod est lanam in tenue « filum deducere. *Spark* scintillam cum crepitu sed unico « exilientem significans (nempe *sp* exilitionem, *ar* crepitum « acutiorem, et *k* muta consonans repentim terminatum « innuit); sed addito *l* fit frequentativum *sparkle*. *Greedy* ex « *gripe* et *needy*. *Grone* ex *greeve* et *mone*. *Branch* confusum « videtur ex *brachio* et *ramo* (sicut Latinorum « mille » ex « Graecorum partim μύρια partim χίλια, aut « alter » ex ἄλλος et « ἕτερος). *Slant* ex *slope* et *lean*. *Quaff* ex *quite off*. »

CAPUT V

DE POESI

Grammatica denique clauditur capitulo poesi addicto. In alia hujus libri parte Wallisium dixi nonnunquam poesi indulsisse et relaxationem animi in Musarum cultu quaesivisse. Quos edidit versus non certe magni pretii sunt; quas vero opiniones de poesi expresserit confusae satis, ni fallor, esse putabuntur.

Anglicanam poesim rythmicam esse auctor noster declarat. « Observatur praesertim numerus syllabarum; non prorsus « tamen neglecta quantitate. » Neutri igitur favet opinioni quarum una existimat anglicanam poesim tantum in accentu, altera vero in numero syllabarum consistere. Media quidem haec Wallisii sententia vera et recta esse videtur; dualis enim est origo poeseos quae simul a veteribus Saxonicis carminibus et a recentiore imitatione Gallorum poetarum orta est. At quantitatem, non accentum dicit scriptor, nec ullum unquam discrimen facit inter res duas omnino dissimiles. Eumdem igitur grammaticum, qui aptissime et clarissime distinguerat,

in priore parte libri sui, diversas latinae et anglicanae sermonis naturas, eum nunc videmus principia latinae et anglicanae poesis permiscere. Ille enim opinatur latinas leges versuum posse ab Anglicis observari, et post multos, quorum nonnulli digniores quam ipse poetae nomine fuerant, exempla tradit anglicanorum versuum latinos imitantia.

« Exemplum esto Psalmi primi versio metrica; versu Iam-
« bico (quales nostri plerumque sunt, praesertim in materia
« graviore) :

The mán is blést that háth not bént
to wicked réad his éar.

« Verùm si, retento eodem versus genere, mutatione levi
« facta, ponantur syllabae in locis non suis, ad hanc formam :

Blessed is thé man, thát hath nót
bent tó wickéd read hís.

« versus erit plane horridus. »

« Verum aliorum item metrorum capax est lingua nostra,
« (si quis id affectet) etiam pro latinae Poeseos ratione.
« Exemplo sit hoc Hexametrum (nescio an Sidnei in Arcadia
« sua, ubi et alia complura conspicienda sunt) :

What shal I do? shal I dy? shal Amyntas murder Amyntas?

« Quod lingua nostra non refugiat Latini carminis modos...
« placuit integrum psalmum secundum hexametro versu
« reddere, cujus versio anglicana sic procedit :

1. Why do the heathen rage, and the people imagine a vain thing?

2. The kings of the earth set themselves, and the rulers take counsell together against the Lord and against his anointed, saying,

3. Let us break their bands asunder, and cast away their cords from us.

. . . .

« Cujus primus versiculus sponte sua fluit secundum leges « Hexametri Latini; totusque psalmus levicula mutatione ad « easdem leges sic redigatur :

1. Why do the héathén ráge, and the péople imágine a vaín thing?
2. Why do the kíngs of the éarth cónspíre with Prínces amóng them,
Thús cónspíring agaínst thé Lórd, and agáinst his anóinted.
3. Lét us asúndér bréak their bónds, and cást we the córds off.

. . . .

Sufficiant haec ad monstrandum qualis fuerit grammatici nostri poeticus genius.

PARS TERTIA.

SERIES VOCABULORUM QUAE A WALLISIO PRONUNCIATA FUERUNT ALITER QUAM NUNC TEMPORIS EFFERUNTUR

A. — « ... Majori apertura formatur Anglorum â, hoc est *á* « exile. Quale auditur in vocibus *bat*, *bate*; *pal*, *pale*; *Sam*, « *same*; *lamb*, *lame*; *dam*, *dame*; *bar*, *bare*; *ban*, *bane*; etc. « Differt hic sonus a Germanorum *â* pingui seu aperto eo « quod Angli linguae medium elevant, adeoque aerem in « Palato comprimunt; Germani vero linguae medium depri- « munt, adeoque aerem comprimunt in gutture. Galli fere « sonum illum proferunt ubi *e* praecedit *m* vel *n* : « entendement[1]. »

1. « These words « commencement », « omnipotent », « entendement », « vent » with other lyke, be sounded with *a*, as « commencemant », « entendemant », « vant » and other lyke. » (*Here begynneth the introductory to wryte and to pronounce Frenche*, *compiled by* Alexander Barcley, *compendiously at the commandement of the ryght hye excellent and myghty prynce Thomas, duke of Norfolk*, 1521.) Citatum a Thurot, *De la prononciation française depuis le commencement du* XVIe *siècle*, vol. II, in pagina 429.

« *E* ante *m* et *n* in eadem syllaba profertur ut *a*, « femme », « entendre », « science », etc., quasi « famme », « antandre », « sciance », etc. »

« â ŏ aperta : Si apertura majori seu pleno rictu spiritus « exeat, formatur Germanorum *â* vel *ŏ* apertum. Neque Ger- « mani solum sed et Galli, aliique non pauci, eodem sono « suum *a* plerumque proferunt. Angli sonum illum correptum « per *ŏ* breve; productum vero plerumque par *au* vel *aw*, « rarius per *â* exprimunt. Nam in *fâll*, *folly*; *hâll*, *haul*, *holly*; « *câll*, *collar*; *lawès*, *losse*; *cause*, *cost*; *aw'd*, *odd*; *saw'd*, *sod*; « aliisque similibus; idem prorsus Vocalium sonus auditur in « primis syllabis, nisi quod illic producatur, hic corripia- « tur. » (*De Loquela*, sectio II.)

« â plerumque pronunciatur sono magis exili quam apud « alias plerasque gentes : eodem fere modo quo Gallorum *e*, « sequente *n*, in voce « entendement », sed paulo acutius et « clarius; seu ut *a* Italorum. Pauca tamen sunt in quibus *a* « sono pingui efferri solet, nempè quum in fine dictionis *a* « praecedit geminum *ll*, ut in *all*, *tall*, *hall*... *allthough*, *all*- « *most*... At *walk*, *talk* rectius per *a* anglicum efferuntur; « quae tamen negligentius loquentibus sonantur *wau'k*, « *tau'k*. » (*Grammatica*, sectio II.)

Unde manifestum est has voces unum tantum sonum tunc

(Anonymus, *Ecloge praecipuarum legum gallicae pronunciationis ex primis gallicae linguae auctoribus, in gratiam convictorum seminarii B. Mariae Montibus Hannoniae*. Montibus, 1624.) Citatum a Thurot, vol. II, p. 460.

« *Fener* (que les Françoys prononcent par *a* obscur, comme ente, tente, fente, selon la règle de la voyelle *e* suyvie de la consone *n*, à peu près tel que s'il estoit escrit *faner*) vient du latin *foenum*. » (Nicot, *Thresor de la langue françoyse, tant ancienne que moderne*, 1606.) Citatum a Thurot, *loco citato*.

« Toutes les fois qu'au singulier des noms qui ont *en* à la dernière syllabe, il y a un *t* après *en*, l'*e* se prononce en *a*, comme à expedient, inconvenient.... Mais quand il n'y a point de *t*, comme à moyen, citoyen, etc., alors on prononce l'*e*. « (Vaugelas, *Remarques sur la langue française*.... 1647, p. 89.)

praebuisse quae nunc dierum tam dissimiliter pronunciantur, ut *ban* et *bane*, *lamb* et *lame* [1], scilicet exilem illum sonum quem audimus in *man*, *at*, etc., sed in quibusdam vocibus correptum, in aliis productum. At confusionem quamdam et sermonis fluctuationem tum praevaluisse censeo, ut clare apparet si Wallisii opinioni opponantur verba scriptorum vix aetate inferiorum : Cooper (1685) et Miège (1688). Quorum prior sonum vocalis *a* ita explicat, ubi *e* quiescens post *a* ad finem syllabae adjicitur, ut nobis per *aeu* notanda sit, « name », *naeum*; « bane », *baeunn*; « made », *maeude*, etc. [2]. — Miège autem ita scripsit : « Dans la langue anglaise cette voyelle *A* « s'appelle et se prononce *ai*. Lorsqu'elle est jointe avec « d'autres lettres, elle retient ce même Son dans la plupart « des Mots; mais il se prononce tantôt long tantôt bref... « Exemple *fare*, *tare*, *care*, *grace*, *fable* qui se prononcent « ainsi, *faire*, *taire*, *caire*, *graice*, *faible*. D'ailleurs *a* se pro- « nonce en *ai* bref ou en *e* ouvert, lorsqu'il se trouve entre « deux consonnes, au milieu des Monosyllabes, comme *hat*, « *cap*, *mad*. Mais il s'approche du son de notre *a*, à la fin « des Noms en *al*, *ar* et *ard* qui ont plus d'une syllabe. « Exemple *general*, *special*,... *grammar*, *altar*,... *mustard*.... « Dans le mot de *Jane* l'*a* se prononce en *e* masculin, « *Djéne* [3]. »

Manifesta hic videtur scriptorum oppositio : Cooper quidem

1. Quum grammatici quidem eos sonos indicent pro breviore et longiore sono ejusdem litterae non satis manifestum faciunt illos omnino dissimiles esse nec ejusdem vocalis convenire naturae.

2. C. Cooper, A. M., *Grammatica Linguae Anglicanae*, Lond. 1685. — Vide Sweet, *A History of English Sounds*, in pagina 213.

3. *Miege*, Guy, gent. *The Great French Dictionary*, in two parts. Lond., 1688. — Vide Sweet, *loco. cit.*, p. 214.

in *a* longo vel brevi valdè dissimiles sonos esse agnoscit; Wallisius vero et Miège unum sive productum sive correptum. At si Wallisius hunc sonum dicit esse proximum ei quem audimus nunc temporis in anglico *a* brevi, ita ut *bat*, *bate* pronunciarentur *bat*, *baat*, Miège contra unum illum sonum proximum esse dicit ei quem habemus in anglico *a* longo, ita ut *fare*, *hat* pronunciarentur *faire*, *hèt*.

age (aetas), pronunciabatur *ad-ye* (consonantis sono litterae *y*). Vide **J**.

ai, **ay**. — Sonum diphtongi Wallisius nos docet expressum fuisse his litteris, sonum nempe compositum ex *a* anglico, id est exili, correpto, et *y*. *Day*, *praise* tunc pronunciabantur, ut ait, *daï*, *praïce*. (*Grammat.*, cap. I, sect. III.) *Ai*, *ay* hac in re plane Wallisius distinguit ab *ei*, *ey* in quibus unum simplicis vocalis sonum notat, quamvis multis annis antea jam orta fuerit ista pronunciatio qua nullum discrimen servatur inter duas illas diphtongas. (De quo vide : CH. BUTLER, *The English Grammar, or the Institution of Letters, Syllables, and Words in the English tongue*, Oxford, 1633; et præsertim JOHN HART, *An Orthographie, conteyning the due order and reason, howe to write or painte thimage of mannes voice, most like to the life of nature.* Composed by J. H. CHESTER, Heralt, London, 1569.)

all (omnis), pronunciabatur ut *âll*, aut ut *o*(*r*)*l*, pingui, non gutturali sono vocalis. Vide **A** et **aw**.

archbishop (archiepiscopus), Wallisius dicit pronunciari *artyebisyop*, consonantis sono litterae *y*. Vide **ch** et **sh**.

altar (altar), pronunciabatur *âltar*, non *o*(*r*)*lteùr*. Vide **A**.

au, **aw**. — « *Au* vel *aw* recte pronunciatum, sonum exhi-
« beret compositum ex Anglorum *a* brevi et *w*. Sed a ple-

« risque nunc dierum effertur simpliciter ut Germanorum *â* « pingue ; sono nempe litterae *à* dilatato, et sono literae *w* « prorsus suppresso. Eodem nempe sono efferunt *âll* omnes, « *awl* subula; *câll* voco, *caul*, *cawl* omentum, vel etiam « tiara muliebris. » (*Grammatica*, cap. I, sect. III.)

Ex quo videmus, etsi Wallisius repugnavisset novae illi pronunciationi, sonum simplicem diphtongo *au*, *aw* tunc a plurimis attributum fuisse. Idem confirmant, inter multos scriptores, JOHN HART, *An Orthographie...* 1569; SIR THOMAS SMITH, *De recta et emendata linguae anglicae scriptione* dialogus, Paris, 1568; et ALEXANDER GILL, *Logonomia Anglica...* 1619.

awl (subula), pingui sono *âll* pronunciabatur item ac *all* omnes; sed Wallisius id putat rectius efferendum *a-oul*. Vide supra **au**, **aw**.

balm (balsamum), pronunciabatur *bo*(*r*)*m*. Vide **L**.

baptism (basptisma), pronunciabatur *baptisme* quasi tres fuerint syllabae. Illam autem pronunciationem jam suo tempore fere obsoletam esse Wallisius putabat, sed praevaluisse, ut ait, « parentum nostrorum aetate », atque etiam a vetulis quibusdam tunc quoque usurpabatur. Vide **E**.

bane (pernicies), pronunciabatur ut nostrum gallicum nomen *banne*, sed producto sono. Vide **E**.

bar (vectis), pronunciabatur *bar*, eodem sono quo efferimus *bar* in « barbier », non eo quem audimus in nostro « barre ».

bare (nudus), pronunciabatur *bar*, eodem sono quem audimus in *barbier*, sed producto. Vide **A**.

bate (discordia), pronunciabatur *bat* sed productiore sono. Vide **A**.

beast (fera), pronunciabatur *bést*, vel *béast*, correpto sono vocalis *a*. Vide **E** et **ea**.

beasts (ferae), ita pronunciabatur quasi pluralis terminatio esset *es*. Vide **E**.

beauty (pulchritudo), pronunciabatur ut *béouti*. Vide **eu**, **ew**, **eaw**.

best (optimus), pronunciabatur ut *bést*, non ut *bèst*. Vide **E**.

begin (incipio), pronunciabatur (non autem ab omnibus) ut *begyin*, inserto sono consonae *y* prae vocali. Vide **Y**.

bough (ramus), pronunciabatur *be-ough*, obscuro sono vocalis *o*. Vide **ou**.

bite (mordeo), pronunciabatur *bèïte*. Vide **I**.

boat (cymba), pronunciabatur, ut nunc temporis *bôtt*, at Wallisius putabat id potius pronunciandum esse *bôat*. Vide **O**.

boil (coqueo), pronunciabatur *beïl*, aut a quibusdam *bôïl* et nonnunquam etiam *boueïl*, *bouôïl*. Vide **oi** et **W**.

bow (flecto), pronunciabatur *be-ou*, obscuro sono vocalis *o*. Vide **ou**, **ow**.

bowl aut **Boul** (globus), pronunciabatur *be-oul*, obscuro sono vocalis *o*, aut forte etiam *bô-oul*. Vide **ou**.

boy (puer), pronunciabatur *beï*, *bôï*, aut nonnunquam *bouei*, *bouôï*. Finalem litteram *y* Wallisius existimat esse pronunciandam consonantis sono, ut *beuille*, aut *bôye*.

bowl (poculum), pronunciabatur *bòoul*. Vide **ou**, **ow**.

brought (attulit), pronunciabatur *brôout* aut *brott*, *brôouht* aut *brohtt* per molliorem aspirationem insertam inter vocalem et finalem consonam. Vide **ou** et **gh**.

brew (misceo), pronunciabatur ut *briou* aut ut *bréou*. Vide **U** et **ew**.

call (voco), pronunciabatur *càll* (non *co(r)l*). Vide **A**.

calm (quietus), pronunciabatur *caum*, sed non ab omnibus, namque recentior pronunciatio quae nunc omnino praevaluit, *câm*, etiam ante Wallisii tempus audita erat [1]. Vide **A** et **L**.

catechism (catechismus), pronunciabatur a quibusdam quasi *catechisme*, quattuor syllabis, scriptum esset. At Wallisius notat hanc pronunciationem jam fere obsoletam esse. Vide **E**.

can (possum), pronunciabatur *kyann* a quibusdam tantum, nec recte. Vide **Y**.

chambre (camera), pronunciabatur *sya-m-br*. Vide **sh**.

ch. — « Anglorum *ch* vel *tch* sonat *ty* : *orchard*, *riches* sunt « ort-yard [2], rit-yes », etc. Hoc sono Itali suum *c* proferunt « ante vocales *e* et *i*.... Si voci anglicanae *yew*, taxus, sigil- « latim praeponantur *d*, *t*, *f*, *z*, fiunt *dyew*, *tyew*, *syew*, *zyew*, « hoc est *jew*, *chew*, *shew*, et Gallorum *jeu*. Qui syllabis *yan-* « *yer* praeposuerit *s*, *z*, formabit Gallorum *changer* (syan- « zyer); at si praeposuerit *t*, *d*, formabit Anglorum *changer* « (tyan-dyer). »

« Non ignoro esse qui velint in Anglorum *che* et *ge* audiri « sonum consonae *s* (*tsyandsyer*) verum ego in *changer* non

1. « (l) is regularly dropt betwen its parasite (u) and a following consonant in the First Modern English (1500-1600) combinations *aulf, aulv, aulm, aulk, oulk*, as in *half, halve, calm*; *walk, folk* (haaf, haav, kaam; wok, fouk). Also in *should, would, could*.... This loss of *l* began in First Modern English. » (Sweet, *A History of English Sounds*, art. 907, p. 266.)

2. Vera quidem haec est formatio vocis compositae ex *wort* planta et *yard*. Non certè mirandum est sonum litterarum *ty* in hac composita voce transiisse ad *ch* aut *tch*, sed plures forsan mirabuntur *ch* commune pronunciatum fuisse ut *ty*, si Wallisio credamus.

« alios sonos audio quam *tyan-dyer*; atque ad aliorum aures « provoco, num, qui hos protulerit Anglorum *changer* exactly « pronunciaverit. » (*De Loquela*, sect. IV.)

« *Ch* effertur ut Italorum *c* ante *e* and *i*, id est ut *ty*. Excipe « vocabula a Graecis et Hebraeis deducta, in quibus *ch* effer- « tur ut *c* vel *k*. Dicimus tamen *Rachel*, *Cherub*, *Archbishop*. » (*Grammatica*, cap. I, sect. I.)

cherub (cherub), pronunciabatur *tyéreub*. Vide **ch** et **u**.

chew (manducare), pronunciatur *tyéou*. Vide **ch** et **w**.

cloths (panni), pluralis forma vocis *cloth* pronunciabatur quasi *es*, non *s*, adhiberetur. Nostra igitur scriptio *clothes*, quamquam alium sensum innuit, veram pronunciationem veteris vocis *cloths* servavit.

coal (carbo), pronunciabatur ut nunc temporis *côl*, sed Wallisius opinatur vocem rectius esse pronunciandam correpto sono vocalis *a* : *côal*. Vide **O**.

cold (frigidus), pronunciabatur *côld*, et nonnumquam *côould*. Vide **ou**.

combustion (ustio), pronunciabatur *combeusti-eunn*, proprio sono litterarum *ti*; vocemque illam Wallisius opponit nomini *nation*, in quo *ti* effertur ut *ci*. Vide **T**.

come (venio), pronunciandum esse ut *ko*(*r*)*m* Wallisius putat; quamvis non raro (sed male) pronunciaretur eo sono qui postea omnino praevaluit : *keum*. Vide **O**.

commandement (jussus), pronunciabatur *commanndement*, vel *commanndment*, prolapsa una syllaba ut videmus in recentiore forma vocis. Vide **e**.

compass (spatium), pronunciandum auctor putat ut *cômpass*, sed a plurimis jam efferebatur eodem sono qui nunc praevaluit, *keumpass*. Vide **O**.

condition (status), pronunciabatur *côndicieunn*, aut a quibusdam *keundicieunn*. Vide **O** et **ti**.

could (possem), pronunciabatur a quibusdam *co-oud*, a ceteris *coud*. At consona *l* quae vocabulo omnino extranea est muta semper tum erat [1]. Vide **ou**, **ow** et **l**.

course (cursus), pronunciabatur *ke-ourse*, *co-ourse* vel *course*, a nemine vero *co*(*r*)*se* ut nos vocem efferimus. Vide **ou**, **ow**.

court (aula), pronunciabatur *ke-ourt*, *co-ourt*, vel *court*, non *co*(*r*)*t*. Vide **ou**, **ow**.

covet (concupisco), pronunciabatur a plerisque ut nunc : *keuvet*; at Wallisius id rectius pronunciandum esse putat *co*(*r*)*vet*. Vide **O**.

dame (domina), pronunciabatur ut *dam*, sed producto sono vocalis. Vide **A**.

daughter (filia), pronunciandum Wallisius aestimat *daoukhter*, quamvis a plerisque pronunciaretur *do*(*r*)*ter*, simplici pro duplici sono diphtongi, et suppresso sono litterarum *gh*. Boreales tamen et praesertim Scoti *h* substituebant : *do*(*r*)*hter*. Vide **au** et **gh**.

day (dies), pronunciabatur *daï*. Vide **ai**, **ay**.

dear (carus), pronunciabatur *dîr*. At Wallisius hanc vocem vellet potius proferri : *dér* aut *déar*.

« .... Ibidem etiam, sed minori adhuc oris apertura, formatur
« *i* exile, Gallis, Hispanis, Italis, etc., familiare.... Quoties cor-
« reptus sonus est, Angli per *i* breve exprimunt; quum vero
« producitur, per *ee*, *ie*, vel etiam per *ea*... : *sit*, *see't* (id video);
« *fit*, *feet*; *fill*, *feel*, *field*; *still*, *steel*; *ill*, *eel*; *in*, *inne*; *sin*,

1. Inserta est consona *l* falsa analogia cum vocibus *should*, *would*, quum pristina forma erat « cude » en « cuthe ».

« *seen*; *friend*; *fiend*; *near*; *dear*; *hear*, etc. Quanquam « eorum quae per *ea* scribuntur, nonnulla (et quidem melius) « scribuntur per *ee*, alia potius per *é* masculinum proferuntur, « adjuncto etiam si libet exilis *a* sono raptissime pronun- « ciato. » (*De Loquela*, sect. II.)

deceit (fraus), pronunciabatur *decéïte*, *deçaïte*, aut *decéte*. Vide **ei, ey**.

deceive (decipio), pronunciabatur *decéïve*, *deçaïve*, aut *decève*. Vide **ei, ey**.

dg. — « Anglorum *j* consona, vel *g* molle, vel etiam *dg* « componitur ex consonis *dy*. Nam eorum *jar*, *joy*, *gentle*, « *lodging*, etc., sonant *dyar*, *dyoy*, *dyentle*, *lodying*; eodem « sono profertur Italorum *Gj*. » (*Grammatica*, sect. IV.)

doe (facio), pronunciabatur *dou*, nec ulla dicit auctor ex quibus inferri possit alterum sonum diphtongi tunc auditum fuisse in tertia quam in prima persona. (*De Loquela*, sect. II.) Vide **ou**.

done (actum), pronunciabatur *deunn*, aut (melius ut Wallisius aestimat) *do(r)n*. Vide **O**.

E. — « Profertur sono acuto claroque ut Gallorum *e* mascu- « linum. — Vix unquam profertur ut Gallorum *e* femininum, « nisi forte cum *e* breve praecedit literam *r*, ut in *vertue*, « *stranger*, ubi non tam requiritur sonus ille quam aegre evi- « tatur, difficilius enim transit lingua a *é* masculino ad *r*. »

« **e** in fine dictionis omnino mutum est : ut il *make*, *have*. « Praeterquam in articulo demonstrativo *the*... et nominibus « aliquot propriis, aliunde deductis, ut *Phœbe*, *Penelope*... « Nam *he*, *she*, *be*,... rectius scribenda putem *hee*, *shee*, *bee*... « Quoties autem vox aliqua terminanda occurrit ejusmodi « sono, vel subjungitur aliud *e* mutum ut in *Pharisee*, Phari-

« saeus, vel subjungitur *a* ut in *sea* mare, *flea* pulex, *pea* « pisum, *yea* ita; vel *y* ut in *Marshalsey*, *Winchelsey*, *Langley*, « *Hendley*. »

« Antiquitus (*e* mutum) pronunciatum erat, sed obscuro « modo... Sonus autem ille obscurus sensim evanuit, retenta « tamen praecedentis vocalis quantitate. Sic *commandement* « (quadrisyllabum) etiam nunc dicitur from *commande* : nuper- « rime enim factum est, aetate nostra, quod *commandment* — « trisyllabum — dici caeperit, neque id ab omnibus. Sed et, « parentum nostrorum aetate, dicebant *baptis-me, catechis-me*, « *beast-es*, *priest-es*, *cloth-es*, aliaque istiusmodi quae a vetulis « quibusdam etiam nunc audiuntur, et in Psalmis metricis « (Ps. 126, I) etiam num habetur *mouth-es* dissyllabum.... « Atque huc etiam spectat quod *lucre*, lucrum; *theatre*, thea- « trum; *chambre*, conclave; *numbre*, numerus, *acre*, *Whitacre*, « *Gatacre*, *eagre*, *vinegre*, *sepulchre*, aliaque quae olim per *e* « femininum scriberentur (quod jam in mutum transiit) nunc « potius scribantur *luker*, *theater*, *chamber*, *number*, *aker*, « *Whitaker*, *Gataker*, *eager*, *vineger*, *sepulcher*. »

« Hoc eo magis patet quia *e* mutum antiquitus videmus « perpetuo annecti vocabulis plurimis... ut *darke* obscurus, « *marke*, *self* propria persona, etc. »

« Non prorsus otiosum est...; tribus saltem usibus adhuc « inservit. 1° Ut praecedentis vocalis quantitas conservetur. « Ita vocabula *hat*, petasus; *bat*, verspilio; *mat*, matta; *fil*, « impleo; *mil*, mola; *wil*, voluntas, corripiuntur; at *hate*, « odium; *bate*, minuere; *mate*, sodalis; *file*, lima, etc., produ- « cuntur. 2° Ut litterarum *c*, *g* et *th* sonus mollior innuatur, ut « *huge*, enormis; *since*, quoniam; *breathe*, respirare; *seethe*, « coqueo; *wreathe*, torqueo; quae si *e* deesset fortius essent

« pronuncianda ut *hug*, complector; *sink*, mergere; *breath*, « spiritus, *seeth* (videt). 3° Ut *u* consona post vocales distin- « guatur ab *u* vocali, ut in *haue*, *craue*, *saue*, ne putentur ut « *hau*, *crau*, *sau* pronuncianda. » (*Grammatica*, cap. I, sect. I.)

« Eodem loco (in gutture) sed apertura faucium Mediocri, « formatur Gallorum *e* foemineum.... Hunc sonum Angli vix « uspiam agnoscunt; nisi cum vocalis *e* brevis immediate « praecedat litteram *r*... ut in *vertue*, *liberal*, *liberty* », etc. (*De Loquela*, sect. II).

Ea. — Diphtongus illa proferebatur « ut *é* longum. Nempe « illud solum praestat *a* ut syllaba reputetur longa. Ita *met* « obviam factus, *meat* victus; *set* sisto, *seat* sella, non sono dif- « ferebant nisi quod vocalis illic correpta, hic producta intel- « ligeretur. » (*Grammatica*, sect. III.)

Eo magis haec Wallisii asseveratio verisimilis videtur quod raro, ante ejus tempus, illa scriptio *ea* usitata fuit. Nunquam enim occurrit in Caxtonis libris, et rarissime in Palsgravii grammatica. — Productus ille sonus quo *ea* nunc temporis pronunciatur, quasi longus sonus esset vocalis *i*, vix ante medium praecedens saeculum praevaluit. Tum vero eodem sono *ea* a multis efferebatur etiam in vocibus quae nunc priorem sonum servant, et *break*, *great* dicebantur *brii-k*, *grii-t*. (De quo vide H. Sweet, *A History of English sounds*, art. 822, p. 235.)

Ei, ey. — « Per *é* clarum seu masculinum et *y*, vel etiam « simpliciter per *é* clarum, suppresso sono vocalis *i*, *y* : *receive*, « *seize*, *deceit*. Nonnulli tamen plenius efferunt ac si per *ai* « scripta essent. » (*Grammatica*, sect. III.)

« Mediocri apertura oris formatur Gallorum *é* masculinum...

« quod Angli non modo per *e* sed non raro per *ea*, et aliquando « per *ei* exprimunt : *the*, *there*, *these*, *sell*, *seal*, *teal*, *tell*, *steal*, « *set*, *seat*, *best*, *beast*, *red*, *read*, *receive*, *deceive*, etc. Quan- « quam voces per *ea* scriptae rectius pronunciarentur si, « praeter sonum ipsius *e* producti, etiam sonus Anglici *a* « (raptissime pronunciati) adjungeretur; prout olim pronun- « ciatas fuisse verisimile est, atque in aliquis locis, praesertim « septentrionalibus, etiamnunc pronunciantur. Quae vero per « *ei* scribuntur, rectius item per conjunctum utriusque lit- « terae sonum proferri possent. » (*Grammatica*, sect. II.)

enough (satis), quod Wallisius scribit *inough* dicitur ab eo duplicem praebere sonum : *inuff* cum singulare, sed *enow* quum plurale esset. Vide **gh**.

Eu, **ew**. — « *Eu*, *ew*, *eau* sonantur per *é* clarum et *w*. Ut in « *neuter*, neutralis; *few* pauci; *beauty* pulchritudo. Quidem « tamen paulo acutius efferunt acsi scriberentur *niewter*, *fiew*, « *biewty*, vel *niwter*, *fiw*, *biwty*; praesertim in vocibus *new* « novus, *knew* sciebam, *snew* ningebat [1]. At prior pronunciatio « rectior est. » (*Grammatica*, sectio III).

falcon (falco), pronunciabatur *fâcon*, vel (nec tamen semper nec ab omnibus) *faucon*, sed magis gutturali sono quam gallice, sicut *fo(r)con*. Vide **L**.

fault (culpa), quod Wallisius scribebat *falt* pronunciabatur *fo(r)t*. Vide **L**.

few (pauci), pronunciabatur *féou*, ant *fiou*. Vide **eu**, **ew**.

file (lima), pronunciabatur *file*, producto sono vocalis *i*. Vide **E**.

1. Attamen Price (*English orthographie*, 1668) dicit *ew* servare normalem sonum (*e* + *ou*) in *few*, *lewd* et aliquot alia, sed sonum *iou* praevaluisse in *blew*, *chew* et alia. (Vide Sweet, *A History*..., art. 879, p. 255.)

fine (pulcher), pronunciabatur *fèine*. Vide **I**.

foul (immundus), pronunciabatur *fe-oul*, obscuro sono vocalis *o*. Vide **ou**.

fowl (volucris) pronunciabatur *fe-oul*, obscuro sono vocalis *o*. Vide **ow**.

fraught (refertus), pronunciabatur *fraout* vel *fraouht*. *frott* vel *frorhtt*. Vide **au** et **gh**.

friend (amicus), pronunciabatur *frînnd*. Vide **E**, **ea**, **dear**.

fustian (gossypium), pronunciabatur *feusti-ann* proprio, non stridulo, sono consonae *t*. Vide **T**.

general (dux), pronunciabatur *dyeneral* (gallico sono vocalis *a*, non obscuro sono quo nunc vocem efferimus). Vide **g** et **A**, quo in articulo Gallici grammatici Meigret verba sunt citata.

gentle (mitis), pronunciabatur *dyentl*. Vide **Gh** et **j**.

get (obtinere), pronunciabatur a quibusdam (sed male) *ghyett*. Vide **y**.

gh. — « Litteram γ Graecorum pronunciaturo, si spiritus « arctius compressus per subtiliorem quasi rimulam exeat, « formatur sonus qui per *gh* exprimitur : *light*, *daughter*. At « nunc dierum sonum fere penitus omittunt. Boreales tamen, « praesertim Scoti *h* substituunt. » (*De Loquela*, sect. III.)

« *Gh* in vocum principio ut nudum *g* durum pronunciatur. « Ut in *Ghost*, *Ghesse* (conjuncturam facio).... Alias vero nunc « dierum fere prorsus omittitur; syllabam tantum producendam innuit. A quibusdam tamen (praesertim Septentrionalibus) per molliorem saltem aspirationem *h* effertur. Ut « in *might*, *light*,... *sigh* (singultus), *brought*, *saught* (quaesivi), etc. In paucis vocabulis effertur per *ff*; nempe *cough*, « *laugh*, etc. *Inough* (singulare) sat multum, sonatur *inuff*; at

« *inough* (plurale) sonatur *enow.* » (*Grammatica*, cap. I, sect. IV.)

Dubito vero num magna fides Wallisio sit adhibenda, quum in *might*, *light*, etc., aliquid antiquioris soni gutturalis consonae *gh* servari suo tempore declarat. Illum puto hic repugnavisse pronunciationi quae *gh* in his vocibus omnino omittebat, quamvis jam ista praevaluisset. Grammaticus enim Wallisii coaevus, Wilkinsius, plane declarat *gh* in his vocibus omnino mutum esse (JOHN WILKINS, *An Essay towards a Real Character, and a Philosophical Language*, 1668 [1]).

goe (ire), pronunciabatur *gou.* Vide **ou**.

gold (aurum), pronunciabatur *gôld* et nonnunquam *gôould.* Vide **ou**.

grammar (grammatica), pronunciabatur *gramar*, non obscuro sono vocalis in exitu, teste Meigret. Vide **A**.

hate (odi), pronunciabatur *hatte*, sed producto sono vocalis *a*. Vide **A** et **E**.

half (dimidium), pronunciandum Wallisius putat *haaf;* at a multis hanc vocem agnoscit pronunciari *hauf.* Sonus ille quem nunc in hoc vocabulo proferimus, *hâf*, recentiore tempore praevaluit. Vide **L**.

hear (audio), pronunciabatur *hîr*, aut *hée-r*, aut *héar.* Vide **dear**.

Hendley, pronunciabatur *Hendlîe.* Vide **E** et **ey**.

Hold (teneo), pronunciabatur *hôld* aut *hôould.* Vide **ou**, **ow**.

1. Eruditissimus in omnibus quae ad scientiam linguarum pertineant vir, Max Müller, optimum judicium fecit de Wilkinsio. (Vide *Nouvelles Leçons sur la Science du Langage*, 2e leç., in p. 59 et seq. gallicae editionis.)

house (domus), pronunciabatur *he-ous* obscuro sono vocalis *e*. Vide **ou**.

I. — «.... Ibidem etiam (aere inter palati et linguae medium « moderate compresso), sed minori adhuc oris apertura (quam « ad formandum *é* masculinum), formatur *i* exile, Gallis, His- « panis, Italis, etc., familiare.... Quoties correptus sonus est, « Angli per *i* breve exprimunt; quum vero producitur per *ee*, « *ie*, vel etiam per *ea* : *sit*, *see't* (id video); *fit*, *feet*; *fill*, *feel*, « *field*; *still*, *steel*; *ill*, *eel*; *in*, *inne*; *sin*, *seen*; *friend*; *fiend*; « ***near***; ***dear***; ***hear*** », etc.

« **î** latum sonum esse simplicem haud existimo. » (*De Loquela*, sect. II.)

« **I** vocalis quoties brevis est sonatur plerumque (ut apud « Gallos aliosque) exili sono. Ut in *bit* morsus, *will* volo, *still* « semper, *win* lucro, *pin* acicula, *sin* peccatum, *fill* impleo. At « quoties longa est plerumque profertur ut Graecorum ει. Ut « *bite* mordeo, *wile* stratagem, *stile* stilus, *wine* vinum, *pine* « tabe consumor, etc., eodem fere modo quo Gallorum *ai* in « vocibus *main* manus, *pain* panis, etc., nempe sonum habet « compositum ex Gallorum *è* feminino et *i* vel y [1]. » (*Grammatica*, cap. I, sect. II.)

1. « A cete diphtong' *ay* èt èncores succédé *ei* per *e* clos tèllement qu'ajourd'huy nou' prononçons *seint*, *pein*, *mein*, *vein*, *vrey* au lieu dè qels vous escrivez *sainct*, *pain*, *main*, *vain*, *vray*. » (Meigret, *Le tretté de la Grammère françoèze*, 1550.) Vide Thurot, *De la Prononciation franç.*, lib. IV, cap. III.

« *Ai* jointe à une *m* ou à une *n* est une véritable diftongue qui se prononce comme *ei* dans *daim*, *faim*, *nain*, *bain*. » (D'Allais, *Grammaire méthodique*, etc., 1681, in pagina 14.) Vid. Thurot, *loc. cit.*, lib. VI, cap. III, in pag. 489.

Nec omnino desunt in nostra gallica lingua, eodem tempore, exempla ejusdem pronunciationis vocalis *i*, quae hic illustratur. « Hindret (*L'Art de bien prononcer et de bien parler la langue françoise*, 1687) atteste que

inne (caupona), pro nostro *inn* pronunciabatur, producto sono vocalis *îenn*. Vide **I**.

J. — « Anglorum *j* consona sonatur ut *g* molle vel etiam « *dg*; componitur nempe ex consonis *dy*. Nam eorum *jar*, *joy* « *gentle*, *lodging*, etc., sonant *dyar*, *dyoy*, *dyentl*, *lodying* », etc. (*De Loquela*, sect. IV.)

« **J** consona durius apud nos sonatur quam apud plerosque « alios, nempe ut *dy*... Syllabam semper inchoat. Nam si « quando sonus ille in syllabarum fine pronunciandus occurrit, « per *g* molle aut etiam *dg* exprimitur, sequente tamen *e* « muto, ut mollior sonus litterae *j* innuatur, ut *age*, *rage*, « *Knowledge*. » (*Grammatica*, cap. I, sect. I.)

Notandum etiam est Wallisium eadem scriptione fingere sonum consonarum *j*, *g* in gallicis vocibus *je*, *âge*, *chambre* ta ut, si non omnino similis, vicinus saltem fuerit ei quem in anglicis vocibus fingit per *dy* : nempe *dye*, *azye*, *syambre*.

jar (olla), pronunciabatur *dyar*. Vide **J**.

jew (Judaicus), pronunciabatur *dyéou*. Vide **J** et **ew**.

Joy (gaudium), pronunciabatur *dyô-ye* vel *dyoï*. Vide **J** et **oy**.

knew (sciebam), pronunciabatur *knou*, *kniou* vel *Knéou*. Vide **U** et **ew**. — Ita Wallisius sonum litterarum *kn* fingit quasi *k* semper sonatum tunc esset. At eodem tempore COOPER scripsit : « *Kn* sonatur ut *hn*; *knave* nebulo... quasi « *hnave* », etc. [1]. — LEDIARD posterius : « *K* before *n* at the « beginning of a word is only aspirated and spoken as an *h*;

dans certaines provinces on dit *fareine*, *ma cousaine*, *une medeceine*, pour *farine*, etc. » — Et dans une seconde édition (1696) : « Les Normans disent *genteilhomme*; mais il ne faut pas les imiter. » (Citatum a THUROT, *De la Prononciation*, etc., lib. I, cap, III, in pag. 222.)

1. *Grammatica linguae anglicanae*. London, 1685.

« *knack* knäch, *knave* knäve, *knife*, hneife, *Knee*, hnie »[1], etc.

know (scio), pronunciabatur *knô* vel *knô-ou*. Vide **knew** et **ou**, **ow**.

knowledge (scientia), pronunciabatur *Knôledye* consonae sono litterae *y*. Vide **knew**, **ow**, et **j**.

L. — « saepe excidit ut in *talk*, *walk*, *chalk*, *balk*, *Halk* (*hal-* « *kin*, *halkins*), *falcon*, *Fulk*, *Yolk*, *malt*, *falt*, *shalt*, *qualm*, « *calm*, *psalm*, *shalm*, *halm*, *balm*, *palm*, *halser*, *salcer*, « *Calcot*, *Halse*, *half*, *Ralf*, *could*, *would*, *should*, aliisque « aliquot, quae saepe (nec tamen semper, nec ab omnibus) « proferuntur : *tauk*, *wauk*, *chauk*, *bauk*, *Hawk*, *faucon*, « *Fowk*, *Yo'ke*, *maut*, *faut*, *sha't*, *quawm*, *caum*, *psaum*, « *shaume*, *haum*, *baum*, *paum*, *hauser*, *saucer*, *Caucot*, *Haws*, « *hauf*, *Rafe*, *coud*, *wou'd*, *shou'd*. » (*Grammatica*, cap. I, sect. II.)

light (lux), pronunciabatur *lèïght*, *lèïtt*, ant *lètt*; primum vero sonum Wallisius aestimat esse optimum. Vide **I** et **gh**.

laugh (rideo), pronunciabatur *laff*, producto quidem sed non aperto sono vocalis *a* ut in nostro *lâf*. Vide **gh**.

lame (claudus), pronunciabatur *lamm*, producto sono vocalis *a* exilis. Vide **A**.

Langley, pronunciabatur *Lannglî*. Vide **E**.

least (minimus), pronunciabatur *lest*. Vide **ea**, et suprà, paginam 48.

lodging (habitatio), pronunciabatur *lodging*, consonantis sono litterae *y*. Vide **J**.

liberal (liberalis), pronunciabatur *libèral*. Vide **E**, in fine.

1. *Grammatica Anglicana critica*, oder Versuch zu einer vollkommenen Grammatic der Englischen Sprache.... Hamburg, 1725.

liberty (libertas), pronunciabatur *libèrty*. Vide **E**, in fine.

London, pronunciabatur *Lo*(*r*)*ndo*(*r*)*n*, aut (male ut Wallisius aestimat) *Leundeunn*. Vide **O**

love (amo), pronunciabatur *lo*(*r*)*v*, aut (male ut Wallisius aestimat) *leuv*. Vide **O**.

lowse (pediculus), nunc scriptum *louse* pronunciabatur, obscuro sono vocalis *o*, *le-ouss*. Vide **ou**.

malt (mustum), pronunciabatur *maut* (sicut *mo*(*r*)*tt*), sed etiam a quibusdam *malt*. Vide **L**

Marshalsey, quod nunc temporis scriberetur *marshalsea* tunc pronunciabatur *marshalsî*. Vide **E**

meat (cibus), pronunciabatur *mée-t*. Vide **ea**.

mercy (misericordia), pronunciabatur *mèrcîe*, producto, non ut apud modernos Anglos correpto, sono vocalis *y*. Vide **Y**, et **E**, in fine.

« Sed et *y* nonnumquam vices sustinet vocalis *i*, praesertim « in dictionum fine. Nam promiscue scribimus *mercy*, *pity* ac « *mercie*, *pitie*. » (*Grammatica*, cap. I, sect. I.)

might (possem), pronunciabatur *meïght*, *meïht*, aut *mèït*. Vide **I** et **Gh**.

mixtion (admixtio), pronunciabatur *mixti on*. Vide **ti**.

more (magis), pronunciabatur *môre*, eodem sono vocalis *o* quem audimus in *sole*, *chose*, etc. Vide **O**.

mourn (lugere), pronunciabatur *mo-ourn* aut *mourn*. Vide **ou**, **ew** et **doe**.

mouse (mus), pronunciabatur *me-ouss*, obscuro sono vocalis *o*. Vide **ou**.

mouths (ora), pronunciabatur ut si scriptum *mouthes*. Vide **S**.

mustard (sinapi), pronunciabatur *meustard* (gallico non

obscuro sono vocalis *a*), teste gallico grammatico Meigret. Vide **A**.

nation (natio), pronunciabatur *naçi-on* aut *naçion*. Vide **ti**. « Sic *nation*, *potion*, *station* nunc pro dissyllabis, nunc pro « trisyllabis occurrunt prout carminis ratio postulaverit. » (*Grammatica*, cap. I, sect. II.)

near (propinquus), pronunciabatur *nîr*, aut (melius ut Wallisius opinatur) *né-ïr*. Vide **I** et **dear**.

naught (malus), pronunciabatur *naought*, *naouht*, vel *no(r)tt*. Vide **au** et **gh**.

neuter (neutralis), pronunciabatur *néouter*. Vide **eu**.

new (novus), pronunciabatur *nou* aut *néou*. Vide **ew**.

night (nox), pronunciabatur *nèïght*, *neïht*, vel *nèït*. Vide **I** et **gh**.

noise (sonitus), pronunciabatur *nôïze*, vel *neu-ïze*. Vide **oi**.

none (nullus), pronunciabatur *nône*. Vide **O**.

nought (nihil), pronunciabatur *no-ought*, *no-ouht*, vel *no-out*. Vide **ou** et **gh**.

O. — « *â ŏ aperta*. Si apertura majori seu pleno rictu spi- « ritus exeat formatur Germanorum *â* vel *ŏ* apertum. Neque « Germani solum sed et Galli, aliique non pauci, eodem sono « suum *a* plerumqne proferunt. Angli sonum illum correptum « per *o* breve; productum vero plerumque per *au* vel *aw*, « rarius per *â* exprimunt. Nam in *fâll*, *folly*; *hâll*, *haul*, *holly*; « *câll*, *collar*; *lawes*, *losse*; *cause*, *cost*; *aw'd*, *odd*; *saw'd*, *sod*; « aliisque similibus; idem prorsus Vocalium sonus auditur in « primis syllabis, nisi quod illic producatur hic corripiatur »...

« *ô rotundum*. Majori labiorum apertura formatur *ô* rotun- « dum; quo sono plerique proferunt Graecorum ω. Hoc sono « Galli plerumque proferunt suum *au*. Angli ita fere semper

« proferunt *o* productum vel etiam *oa* (ipso *a* nimirum nunc
« dierum quasi evanescente; de quo idem hic judicium feren-
« dum est ac supra de *ea*) : Ut, *one*, unus ; *none*, nullus, *whole*,
« totus ; *hole*, foramen ; *coal*, carbo ; *boat*, cymba ; *oat*, avena ;
« *those*, illi ; *chose*, eligi ; etc. At ubi *o* breve est, ut plurimum
« per *o* apertum (de quo supra), rarius per *ô* rotundum, pro-
« nunciatur. »

« *ô obscurum* differt a Gallorum *e* femineo non aliter quam
« quod, ore minus aperto, labia propius accedant... (eodem
« sono qui auditur in Gallorum *serviteur*); ut in *turn*, *burn*,
« *dull*, *cut*,... *còme*, *sòme*, *dòne*, etc..

« Nonnunquam *o* et *ou* negligentius pronunciantes eodem
« sono efferunt, ut in *còme*, venio ; *sòme*, aliquis ; *dòne*, actum ;
« *company*, consortium ; *còuntry*, rus ; *còuple*, par ; *còvet*,
« concupisco ; *lòve*, amo ; aliisque aliquot ; quae alio tamen sono
« rectius proferri debent ». (*De Loquela*, sect. II.)

« *O breve* eodem modo pronunciatur quo Germanorum *a* vel
« *o* apertum seu pingue, nisi quod corripiatur. Eumden sonum
« exprimunt Angli per *au*, *aw*, rarius per *a*. Idem enim sonus
« auditur in *mollify*, *maul* ; *fond*, *fawn* ; *folly*, *fall* ; nisi quod
« hic productus, illic correptus sit. Non raro tamen (sed male)
« pro *o* brevi sonatur *u* obscurum : Ut in *condition*, *London*
« *compasse* (circuitus) acsi scripta essent *cundition*, *Lundun*...
« *O longum* pronunciatur ut Graecorum ω et Gallorum *au*... ;
« Ut in *sôle*, *chôse* (elegit), *môre*, etc. » (*Grammatica*, cap. I,
sect. II.)

Wallisii opiniones confirmantur a ceteris ejusdem temporis anglicis auctoribus (Cooper, Wilkins). At Miège non eumdem sonum audit in Anglorum *o* longo et in Gallorum *au*. Anglicum *o* magis simile existimat esse gallico *o* ; sed ea addit. « Il y a

« bien des mots où l'*o* a un son mêlé de celui de l'*a*, et où « sans scrupule, on le peut sonner comme un *a* [1]. »

oat (avena), pronunciabatur, ut nunc temporis *òtt*, sed Wallisius vocem putat rectius pronunciandam esse *ôatt*. Vide supra **O**.

Oi, oy. — « Diphtongi... *ai*, *ei*, *oi*, *ay*, *ey*, *oy*, *aw*, *ew*, *ow*, « recte pronunciatae, componuntur ex vocalibus praepositis et « Consonantibus *y* et *w* quae tamen pro vocalibus subjunctivis « vulgo habentur.

« Nempe in... *oi*, *ou*, vel *oy*, *ow* praeponitur aliquando *o* « apertum (ut in Anglorum *bóy* puer; *tóys* nugae); aliquando « *o* obscurum (ut in *bòil* coqueo; *tòil* labor; *òil* oleum...), « quanquam non negem etiam horum nonnulla a quibusdam « per *o* apertum pronunciari. » (*De Loquela*, sect. IV.)

Ex quo videmus normalem tunc fuisse istam pronunciationem quam nunc adhuc nonnunquam audimus : *beu-il*, *peuison* (*boil*, *poison*). In posteriore parte praecedentis saeculi sonus litterae *o* restitutus est multis in vocibus quae per *oi*, *oy* scriptae, nullum vocalis *o* sonum servaverant.

oil (oleum), *oïl*, *euïl* aut *ôïl*. Vide supra **O**.

old (senex), pronunciabatur *old* aut *ô-ould*. Vide *ou*, *ow*.

one (unus), pronunciabatur *ône*. Vide **O**.

Valde dissimilis hic sonus est illi qui nunc profertur. *One* (a Saxonico *ân*) pronunciatum est quondam ut pronunciamus praepositionem *on*. Sonum litteræ *w* Earle putat primum praefixum fuisse in provinciali sermone (Devonshire, Somersetshire) et inde in normalem, aut ut dicunt « regalem » linguam introductum esse. Mutatio illa, sexto decimo sae-

1. MIEGE, GUY, Gent. *The Great French Dictionary*, London, 1688. Citatum a SWEET, *A History of English Sounds*, art. 806, p. 228.

culo verisimiliter effecta est, quamvis illam Wallisius non agnoscat.

One videtur esse pronunciandum ut *on* or *ône* in illa scena ubi « Holophernes » scientiam suam et acumen exhibens hoc vocabulum iterum et iterum enuntiat [1].

orchard (viridarium), pronunciabatur *ort-yard*, cui pronunciationi convenit vocis origo. Vide **ch.**

ou, ow. — « In labiis..., apertura mediocri, formatur Ger-« manorum *ü* pingue, quo sono etiam Hispani, Itali aliique « non pauci utuntur... Galli (eumden sonum fingunt) per « *ou*; Cambro-Britanni per *w*, Angli plerumque per *oo* « (rarius per *u* vel *ou*); ut in *foot*, *shoot*, *full*, *fool*,... *mood*, « *mourn*, *course*, *source*, *doe*, *goe*, *move.* » (*De Loquela*, « sect. II.)

« Diphtongi... *ou*, *ow* recte pronunciatae componuntur ex « Vocalibus praepositis et Consona *w* quae tamen pro vocale « subjunctiva vulgo habetur. Nempe in... *ou*,... *ow*... praepo-« nitur aliquando *o* apertum (ut in Anglorum... *soul* anima, « *bowl* poculum); aliquando *o* obscurum (ut in... *boul* globus, « *owl* bubo, etc.), quanquam non negem etiam horum non-« nulla a quisbudam per *o* apertum pronunciari. »(*De Loquela*, « sect. IV.)

« *Ou* et *ow* duplicem sonum obtinent; alterum clariorem, « alterum obscuriorem. In quibusdam vocabulis effertur sono « clariori per *o* apertum et *w*. Ut in *soul* anima, *sould* ven-« debam, venditum, *snow* nix, *know* scio, *sow* sero, suo *owe* « debeo, *bowl* poculum, etc., quo etiam sono et *o* simplex non-« nunquam effertur nempe ante *ld* ut in *gôld* aurum, *scôld*

1. *Love's Labour's Lost*, act. IV, sc. 2.

« rixor, *hôld* teneo, *côld* frigidus, *ôld* senex, antiquus, etc., et « ante *ll* in *pôll* caput, *rôll* volvo, *tôll* vectigal, etc. Sed et haec « omnia ab aliis efferuntur simpliciter per *o* rotundum acsi « scripta essent *sôle*, *sôld*, *snô*, etc. In aliis vocabulis obscu- « riori sono efferuntur ; sono nempe composito ex *o* vel *ù* « obscuris et *w* [1]. Ut in *house* domus, *mouse* mus, *lowse* pedi- « culus, *boul* globulus, *our* noster, *out* ex, *owl* bubo, *town* « oppidum, *fowl* immundus, *foul* volucris, *bow* flecto, *bough* « ramus, *sow* sus, etc. At *would* vellem, *should* deberem, « *could* possem, *course* cursus, *court* aula, curia, et pauca « forsan alia quamvis (ut proxime praecedentia) per *ou* pro- « nuntiari debeant, vulgo tamen negligentius efferri solent « per *oo*. » (*Grammatica*, cap. I, sect. III.)

ou (noster), pronunciabatur *eu-our*. Vide supra **our**, **ow**.

out (ex), pronunciabatur *eu-ont*. Vide **ou**, **ow**.

ow vel **owe** (debeo), pronunciabatur *ô ou*. Vide **ou**, **ow**.

owl (bubo), pronunciabatur *eu-oul*. Vide **ou**, **ow**.

pale (pallidus), pronunciabatur ut *pal*, sed producto sono vocalis *a*. Vide **A**.

palm (palma), pronunciabatur ut *paum*. Vide **L**.

pine (tabe consumor), pronunciabatur *pèïne*. Vide **I**.

pity (misericordia), pronunciabatur *pitîe*, producto sono vocalis *y*. Vide **Y** et **E**, in fine.

pleasure (voluptas), pronunciabatur *plèzeur*, nullo interveniente sono mollioris *g* aut Gallorum *j*, ut nunc temporis auditur. SWEET censet prima exempla recentioris soni litterarum *s*, *z* (ut in *leisure*, *azure*) inveniri anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo. SKEAT autem putat eumdem

1. Per hunc manifesto *ou*, quae antiquitus pronunciatio diphtongi erat, factum est nostrum *a-ou* in *house*, *mouse*, etc.

sonum antiquiorem fuisse in vocibus *pleasure* et *leisure* [1]. At ex Wallisii verbis id manifesto apparet novum tunc illum sonum nondum praevaluisse [2].

poll (caput), pronunciabatur vel *pôl*, ut nunc temporis, vel *pôoul*. Vide **ou, ow**.

pot (olla), pronunciabatur *po*(*r*)*tt* aut a quibusdam *pouo*(*r*)*tt*. Vide **o** et **w**.

potion (potio), pronunciabatur *pòci-on* vel *pôcion*, tribus vel duabus syllabis. Vide **o, t** et **e**.

praise (laus), pronunciabatur *praïce*. Vide **ai**.

psalm (psalmus), pronunciabatur *pso*(*r*)*m*. Vide **L**.

question (quaestio), pronunciabatur *kouèsti-one*. Vide **T**.

Rachel, pronunciabatur *Ratyel*. Vide **ch**.

rage (ira), pronunciabatur *radye*, obscuro sono consonantis *y*. Vide **g, age**.

read (lego), pronunciabatur *réd* (sono vocalis *é* masculinae), aut (quod Wallisius rectius esse putat) *réäd*. Vide **ei, ey**.

receive (recipio), pronunciabatur *recéy-ve* (obscuro et quasi consonae sono litterae *y*), aut *recéve*, aut nonnunquam *reçaive*. Vide **ei, ey**.

red (ruber), pronunciabatur *réd* claro sono vocalis *e* Vide **ei, ey**.

Ralf, pronunciabatur *raaf*, producto sono vocalis. Vide **A** et **L**.

right (rectus), pronunciabatur *rèïght*, *rèïht*, aut *rèït*. Vide **I** et **gh**.

1. *Etymological Dictionary of the English Language.*

2. Vide *New Lectures on the Science of Language.* The Third Lesson; — et notam a Gallicis translatoribus additam in paginis 165, 166 gallica editionis.

roll (volvo), pronunciabatur *rôll*, aut *rôoul*. Vide **ou, ow**.

S. — « Parentum nostrorum aetate, dicebant.... *beast-es*, « *priest-es*, *cloth-es*, aliaque istiusmodi (quae a vetulis qui- « busdam etiamnum audiuntur, et in Psalmis metricis « (Ps. 126, I) etiamnum habetur *mouth-es* dissyllabum. » (*Grammatica*, cap. I, sect. II.)

same (idem), pronunciabatur *same*, producto sono vocalis. Vide **A**.

saw (vidi), pronunciabatur *sor*, ut nunc dierum, aut (melius ut Wallisius existimat) *sa-ou*. Vide **au**.

saying (dicens), pronunciabatur *sè-ying* (not *sè-ing*). Vide **Y**.

scold (rixor), pronunciabatur *scôld* aut *scôould*. Vide **ou, ow**.

seal (sigillum), pronunciabatur *sél*, aut (melius ut Wallisius putat) *séal*. Vide **ei**.

seat (sella), pronunciabatur *sét*, producto sono vocalis, aut (melius, ut Wallisius putat) *séat*. Vide **ea**.

seize (corripio), pronunciabatur *séiz*, *séz* aut *saïz*. Vide **ei**.

set (sisto), pronunciabatur *sét*. Vide **E**.

Sh. — « Anglorum *sh*, Gallorum *ch*, Germanorum *sch*... « sonant *sy* : *chambre*, *shame*, *scham* sonant *syambre*, *syame*, « *syâm*. » (*De Loquela*, sect. IV.) « *Sh* effertur ut Gallorum « *ch*... ut *sy*. » (*Grammatica*, cap. I, sect. II.)

shame (pudor), pronunciabatur *Syam*. Vide **A** et supra **sh**.

shalt (debes), pronunciabatur a plerisque *sya't*, excidente consona *l*. Vide **L** et **sh**.

shew (ostendo), pronunciabatur *syéou*. Vide **ch** et **ew**.

should (deberem), prunonciabatur *syoud* vel *syo-oud*. Vide **sh**, **ou** et **L**.

sigh (singultus), pronunciabatur *sèï*, aut a quibusdam *sèïh*. Vide **I** et **gh**. Notandum est tamen duos scriptores vix Wallisio posteriores finxisse sonum consonantium *gh* in illo eodem vocabulo per *th* : *sith*. (MIÈGE, *the Great French Dictionary*, 1688. — J. JONES, *Practical Phonography*, 1701.)

sight (visus), pronunciabatur *sèït* aut *sèïht*. Vide **I** et **gh**.

snew (ningebat), pronunciabatur *snéou* vel *snou*. Vide **eu, ew**.

snow (nix), pronunciabatur *snôou*. Vide **ou**.

soul (anima), pronunciabatur *sôoul*. Vide **ou**.

sold (vendebam), quod Wallisius scribit *sould* pronunciabatur ut *sôould*. Vide **ou**.

sow (sero), pronunciabatur *sôou*. Vide **ou, ow**.

sought (quaesivi), quod Wallisius scribit *saught*, pronunciabatur *sa-ouht*, vel *sa-out*. Vide **au** et **gh**.

source (fons), pronunciabatur *so-ource* vel *source*, non *so*(*r*)*ce*. Vide **ou**.

special (proprius), pronunciabatur *special*, gallico, non obscuro, sono vocalis *a*, teste Meigret. Vide **A**.

station (statio), pronunciabatur *staci-onn* vel *stacionn*, duabus vel tribus syllabis. Vide **nation**.

steal (furor), pronunciabatur *stél* producto sono vocalis *e*, aut (et rectius ut Wallisius existimat) *stéal*. Vide **e** et **ea**.

stile (stilus), pronunciabatur *stèïl*. Vide **I**.

stranger (extraneus), pronunciabatur *stranndyer*, femineo, non obscuro, sono vocalis *e*. Vide **A**, **J** et **E**.

T. — « Ante *i*, sequente aliqua vocali, sonatur ut *s* stridulum, « illud potissimum in vocibus quae a Latinis descendant...

« conspicitur; ut in *nation*, *potion*, etc.[1]. At in *question*, *mixtion*, « *combustion*, *fustian* (gossypium) et sicubi alias *t* sequatur « literas *s* vel *x*, genuinum suum sonum obtinet. » (*Grammatica*, cap. I, sect. I.)

talk (fabulari), pronunciabatur a quibusdam, ut nunc temporis, *to(r)k*, at Wallisius existimat vocem rectius esse pronunciandam *tâlk*. Vide **A**.

tall (altus), pronunciabatur *tâll*, sono pingui vocalis ut dicit grammaticus, id est, ni fallor, medio sono inter *â* et *ô*, haud tamen tam propinquo litterae *o* quam nostrum *to(r)l*. Vide **A**.

taught (docui), pronunciabatur *taouht* vel *taout*, aut *to(r)ht* vel *to(r)tt*. Vide **au** et **gh**.

teal (querquedula), pronunciabatur *tél*, producto sono vocalis, aut *téal* (melius ut censet auctor). Vide **ei**, **ey**.

tell (narro), pronunciabatur *tél*, producto sono *e* masculini. Vide **ei, ey**.

Th. — Duplicem admittit sonum; alterum molliorem, affinem « literae *D*; alterum fortiorem, affinem literae *T*. Molliorem « habet in Pronominibus, Relativis, et Conjunctionibus « omnibus ut : *Thou*, *thee*, *thy*, *the*, *this*, *these*, *those*, *they*, etc. « In paucis item nominibus et verbis praesertim in *ther* « finitis, ut : *father*,... *neather* (inferior),... *bequeath* (testa- « mento).

« Alibi semper fortiorem seu duriorem sonum obtinet. Ut « in Praepositionibus *with*, *without*, *within*, *through*,... « *think*,... *loveth*.... etc. » (*grammatica*, cap. I, sect. IV.)

1. Miror quidem Henricum Sweet doctissimum et diligentissimum auctorem scripsisse : « Wallis recognizes (*sh*) in such words (*nation*) ». (*A History of English sounds*. Art. 915, p. 267.)

the, pronunciabatur *thé*. Vide **ei**, **ey**.

there (illic), pronunciabatur *thére*. Vide **ei**, **ey**.

these (hi), pronunciabatur *thése*. Vide **ei**, **ey**.

though (quamvis), pronunciabatur *thôouh*, vel *thôou*. Vide **ou** et **gh**.

thought (cogitatio), pronunciabatur *thôouht*, vel *thôoutt*. Vide **ou** et **gh**.

toil (labor), pronunciabatur *toïl*, aut a quibusdam *tô-il*. Vide **oi**, **oy**.

toll (vectigal), pronunciabatur *tôll* vel nonnunquam, *tôoul*. Vide **ou**.

toys (nugae), pronunciabatur *toïz* vel *tôïz*. Vide **oi**, **oy**.

U. — « *ŭ obscurum* differt a Gallorum *e* femineo non aliter « quam quod, ore minus aperto, labia propius accedant. « Eundem sonum fere efferunt Galli in postrema syllaba « vocum *serviteur*, *sacrificateur*, etc. Angli plerumque expri- « munt per *ŭ* breve in *turn*, verto; *burn*, uro; *dull*, segnis, « obtusus; *cut*, seco, etc. Nonnunquam *o* et *ou* negligentius « pronunciantes eodem sono efferunt, ut in *come* venio; *some*, « aliquis; *done*, actum, *company*, consortium; *country*, rus; « *couple*, par; *covet*, concupisco; *love*, aliisque aliquot; quae « alio tamen sono rectius efferri deberent.

« In labiis item, apertura mediocri, formatur Germanorum « *û* pingue : quo sono etiam Hispani, Itali aliique non pauci « utuntur. — Galli per *ou*; Cambro-Britanni par *u*; Angli « plerumque per *oo* (rarius per *u* vel *ou*) exprimunt. Ut in : « *foot*, *shoot*, *full*, *fool*,... *mood*, *mourn*, *course*, *source*, *doe*, « *goe*, *move*, etc. » (*De Loquela*, sect. II.)

« *U* vocalis quando corripitur effertur sono obscuro. Ut in « *but* sed; *cut* seco; *bur*, lappa; *burst*, ruptus; *curst*, male-

« dictus, etc. Sonum hunc Galli proferunt in ultima syllaba « voci *serviteur*. Differt a Gallorum *e* feminino non aliter « quàm quod ore minus aperto efferatur. Discrimen hoc ani- « madvertent Angli dum pronunciant voces Latinas *iter*, *itur*; « *ter*, *tur*, *turtur*; *cerdo*, *surdo*; *ternus*, *Turnus*; *terris*, *turris*; « *refertum*, *furtum* », etc.

« Ibidem etiam (in labiis) sed minori adhuc apertura (than « *uu*) formatur *ú* exile Anglis simul et Gallis notissimum. Hoc « sono Angli suum *u* longum ubique proferunt (nonnun- « quam etiam *eu* et *ew* quae tamen rectius pronunciantur « retento etiam sono *e* masculi) : Ut *muse*, musa, *tune*, modu- « latio; *lute*, barbitum; *dure*, duro; *mute*, *mutus*; *new*, « novus; *brew*, misceo (cerevisiam coqueo); *knew*, novi; « *view*, aspicio; *lieu*, vice, etc. Hunc sonum extranei fere « assequentur si diphtongum *in* conentur pronunciare; « nempe *ĭ* exile literae *u* vel *w* praeponentes (ut in Hispano- « rum *ciudad* civitas), non tamen idem est omnino sonus, « quamvis ad illum proxime accedat; est enim *iu* sonus com- « positus, at Anglorum et Gallorum, *ú* sonus simplex....

« *U* longum effertur ut Gallorum *ú* exile. Ut in *lúte* barbi- « tum, *múte* mutus, *múse* musa, *cúre* cura, etc. Sono nempe « quasi composito ex. *ĭ* et *w*. » (*Grammatica*, cap. I, sect. II.)

vertue (virtus), pronunciabatur *vertiou*. Vide **E**.

view (visus), pronunciabatur *viiou* aut *viéou*. Vide **U**.

W. — « Hanc literam nos pro consona semper reputamus ; « sono tamen non multum differt a Germanorum vocali *ü* « pingui, raptissime pronunciata. Praecedit, apud nos, non « modo quas vis vocales (si saltem *u* excipias) sed et consonam « *r*. Subjungitur consonis *s* et *th*, ut *want*, *weut*, *winter*, « *wrath*, *write*, etc. At post *g* et *q* potius substituitur *u* ut

« *acquaint*, *anguish* : Sequitur etiam vocales *a*, *e*, *o*, cum « quibus quasi in diphtongum coalescit, eodem prorsus modo « quo *u*, ut *sow* (sus), *sow* (sero), *saw*, vidi, *few* pauci. Prae- « cedit etiam literam *h* sed revera post illam sonatur; *when*, « *what*. » (*Grammatica*, cap. I, sect. I.)

Ex quo videmus sonum vocalis *w* non omnino evanuisse ante *r*, ut H. Sweet putat [1].

« Est observatu non indignum consonas *y* et *w* (licet non « attendentibus et inobservatas) plerumque inter pronun- « ciandum subjungi consonis affinibus ante affines consonas. « Nempe *y* subjungitur saepe gutturalibus consonis *c*, *g*, « sequente vocali Palatina : sonantur enim *can*, *get*, *begin*, etc., « ac si scriberentur *cyan*, *gyet*, *begyin*. — *W* subjungitur « nonnunquam consonis labialibus *p*, *b*, praesertim ante *o* « apertum ut in *pot*, *boy*, *boile*, etc., quae sonantur *pwot*, *bwoy*, « *bwoile*, etc., sed neque semper, neque ab omnibus. Sic pro « *can* audies Scotos et Boreales Anglos dicentes *kan*, meridio- « nales *kyan* [2]. » (*De Loquela*, sect. IV.)

walk (ambulare), pronunciabatur *oualk*, aut, non recte, *ouo(r)k*. Vide **A. L.**

ware (merx), pronunciabatur *ouar*, producto sono vocalis *a*. Vide **A.**

1. « Those of the Second Modern period drop it. » *A History*, etc., art. 916, p. 268.

2. Usus comparari potest qui quondam in nonnullis Galliae provinciis praevaluit et quem scriptores de grammatica notaverunt : « Bituricenses solent *gloire* et *glorieux* et similia efferre quasi *lioire* et *liorieux*. » DE BÈZE. Item scribebat DOBERT in provincia cui nomen « Dauphiné » *la clia* dici pro *la clef*, *cliement* pro *clement*, atque addit : « Ke si les personnes a ki cèt axant èt plus naturel viennet à s'injerer de parler frausès, eles continuët a fère valoèr la double pour la simple, prononsans *la glioére... glorieus... les clioétres*. » (*Recreations literales et mysterieuses*... par le R. P. ANTOINE DOBERT, minime Dauphinois, Lyon, 1650.)

weigh (pondero), pronunciabatur *oueïh* aut *oueï*. Vide **ei** et **gh**.

weight (pondus), pronunciabatur *oueïht*, aut *oueït*. Vide **ei** et **gh**.

Wh. — « Anglorum *wh* pronunciatur omnino ut *hw*. Idem « nempe sonant Anglorum *whit* et Gallorum *huict*. Saxones « olim literam *h* priori loco posuerunt (quî autem factum sit « ut Angli postponant plane nescio). » (*De Loquela*, sect. IV.)

Non multis annis post Wallisii tempus, nempe in prima sequentis saeculi parte, *wh* paulatim sonatus est ut *w*. Nunc vero temporis sonus aspiratae consonae *h* rursus auditur in meliore sermone, scriptionis simul et pronunciationis a Scotis Hibernisque usurpatae gratia.

what (quod), pronunciabatur *houatt* (non *houâtt*). Vide **wh** et **A**.

wile (stratagem), pronunciabatur *ouèïl*. Vide **I**.

Winchelsey, pronunciabatur *Ouinntyelsi*. Vide **ch** et **E**.

wine (vinum), pronunciabatur *ouèïne*. Vide **I**.

with (cum), pronunciabatur *ouith* (non *ouidh*), fortioi, non molliore sono. Vide **Th**.

within (in), pronunciabatur *ouith* (non *ouidh*). Vide supra **with**.

without (sine), pronunciabatur *ouithout* (non *ouidhout*). Vide **with**.

would (vellem), pronunciabatur *ouo-ould* vel *ouo-oud*, aut *ouould* vel *ououd*. Vide **ou** et **L**.

wrath (ira), pronunciabatur *ourath*, producto sono vocalis *a*. Vide **W**.

Vocem illam credo a Wallisio pronunciatam fuisse normali sono, non gutturali qui nunc in ea auditur; nam eam scriptor

nullo modo includit in serie verborum quae sonabant *a* per *au*. — Attamen notandum est illum gutturalem sonum vocalis *a* post *wr* praevaluisse apud multos etiam ante Wallisii tempus. De quo vide SWEET, *A History*, etc., art. 785, p. 216.

wrought (operatus est), pronunciabatur *ouroouht*, *ouroht* vel *ourott*. Vide **W**, **ou** et **gh**.

Y, plerumque subjungebatur inter pronunciandum consonis affinibus, ante affines consonas, ita ut *can*, *get*, *begin* sonarentur quasi scripta fuissent *cyan*, *gyet*, *begyin*. Vide **W**.

yea (ita), pronunciabatur *yî*. Vide **E**.

FINIS

Vidi ac perlegi
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
pridie Nonas april. ann. MDCCCXCV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis rector,
GRÉARD.

INDEX

PARS PRIMA

PARS SECUNDA

PARS TERTIA

Columbariis. — Ex typis Pauli BRODARD. — 209-95.

COLUMBARIIS
Ex typis PAULI BRODARD.